De auctoribus a Tacito in enarranda Divi Claudii vita adhibitis.

Commentatio philologica

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo
philosophorum ordine Monasteriensi rite impetrandos scripsit

Theodorus Grigull
Rhenanus.

Typis A. Liesecke Osnabruggensis
MCMVII.

De hac commentatione ad philologorum ordinem rettulit

P. Sonnenburg.

FRIEDERICO KNOKE

EXPEDITIONUM GERMANICI SCRIPTORI.

Cap. I.

De singulis quibusdam libris, quibus Tacitus usus esse videtur.

Non pauci his decenniis viri docti summo opere reperire studuerunt, quibus auctoribus Tacitus usus sit. Quorum duae partes discernuntur: alii Tacitum fontes qui dicuntur primarios, velut acta senatus, acta populi, relationes praefectorum provinciarum, similia omnino adiisse negant, sed eum, ut fere ceteros illius aetatis scriptores, materiam ex aliorum libris sumpsisse censent. Alii eum nisi illis non usum esse dicunt. Sed alterutrum verum et rectum praedicare falsum videtur. Nam qui libros horum virorum, qui hac de re summo acumine ingenii scripserunt, perlustraverit, multis locis eis assentietur, totidem fortasse dissentiet, ut manifestum fiat verum esse in medio.

Ac quoniam plurimi horum virorum de primis sex annalium libris scripserunt, quibus Tacitus vitam Tiberii enarrat, nobis aptum videbatur, qui sequuntur, libros (XI. XII.), quibus vitam Divi Claudii tradit, in disputationem vocare.

Ut alioqui, ita in his libris Tacitus diligenter cavet, ne ipse auctorem nominet. Semel hunc morem praetermittit, XII 24, ubi acta publica commemorat. Sed hic locus a nonnulis — Nipperdeium, Leonem, Fabiam dicimus — in dubium vocatur, qua de re infra pluribus exponemus.

De Plinio.

Scriptorum illius aetatis vix aliqua fragmenta nobis servata sunt. Sed optime accidit, ut in numero Plinium maiorem videamus, cuius de libro, qui inscribebatur: A

fine Aufidii Bassi, pauca nobis dicenda sunt. Atque primum quidem Plinii filius (adoptatus) tradidit (epp. III 5 § 6) avunculi libros A fine Aufidii Bassi XXXI fuisse. Qui unde orsus sit, vetustum est inter philologos certamen. Ipse quidem bis in altero libro Naturalis historiae huius libri mentionem facit:

II § 199 Anno Neronis principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus.

II § 232 Neronis principis supremis diebus, sicut in rebus eius rettulimus.

Quod hic dicitur tempus, annus est 67. vel 68. Sed in remotiorem aetatem redire possumus. Tacitus enim XIII 31 haec tradit: Nerone iterum L. Pisone consulibus (i. e. anno 57.) pauca memoria digna evenere, nisi cui libeat laudandis fundamentis et trabibus, quis molem amphitheatri apud campum Martis Caesar exstruxerat, volumina implere .... His cum verbis iam pridem comparatum est Nat. hist. XVI 40, 200: Amplissima arborum ad hoc aevi existimatur Romae visa, quam propter miraculum Tiberius Caesar exposuerat, duravitque ad Neronis principis amphitheatrum; fuit autem trabes e larice, longa pedes CXX, bipedali crassitudine, quo intellegebatur vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumen aestimantibus. (cf. etiam Nat. hist. XIX 1,25).

Dubitari non potest, quin Taciti verba in Plinium spectent, cuius de illis trabibus narrationem in libro A fine Aufidii Bassi invenit. Sed cum his tribus locis demonstretur imperium Neronis totum in tempora a Plinio descripta incidere, nihil usquam apud eum est, quare concludamus Claudii quoque et Caligulae et Tiberii temporum ab eo rationem habitam esse. Titulo, quo Plinius opus ornavit, eum non ab initiis imperatoris alicuius scribere coepisse satis apparet, quare complures commovebantur, ut hoc initium in medio Claudii regno ponerent. Quod iam Nipperdey suspicatus in praefatione editionis (I^{10} pag. 30) dicit ex anno 51. apud Tacitum prodigia, quae Plinius, qua esset indole ingenii, diligenter

rettulerit, enumerari. Qua vero mente Plinius scripserit, Gercke perspicuum reddidit[1]), qui multos locos affert, quibus atrocissimae Plinii in Agrippinam et Neronem inimicitiae cognoscuntur. Cum morte Messalinae nihil aptius sit, ubi narratio continua interrumpatur novusque liber incipiat atque cum complures auctores demonstraverint Plinium Tacito Suetonio Dioni materiam praebuisse[2]), operae pretium est comparare, quae hi scriptores de nuptiis Claudii et Agrippinae, a quibus XII. librum incipit Tacitus, tradiderint. Tac. XII 3: Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris: ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum. — — Suet. Claud. 26: Verum inlecebris Agrippinae pellectus ad amorem. Dio LX 31 7. *Καὶ γὰρ καλὴ ἦν (ἡ Ἀγριππῖνα) καὶ συνεχῶς αὐτῷ προσεφοίτα, μόνη τε ὡς καὶ θείῳ συνεγίγνετο καὶ τρυφερώτερον ἢ καὶ ἀδελφιδῇ προσεφέρετο.* Dio LXI 11 3. *Τὸν θεῖον τὸν Κλαύδιον ἐς ἔρωτα αὑτῆς ταῖς τε γοητείαις καὶ ταῖς ἀκολασίαις καὶ τῶν βλεμμάτων καὶ τῶν φιλημάτων ὑπηγάγετο.*

Vix opus est plura addere. Nam nemo est, cui non manifestum sit has tres narrationes ad unum eundemque auctorem referri, i. e. ad Plinii libros A fine Aufidii Bassi, quod infra (ad XII 3) pluribus exponemus.

Negativum quoque, quod nos dicere consuevimus, argumentum nobis est, quo concludamus mortem Messalinae finem operis Aufidiani fuisse. Apud Plinium enim scriptum legimus ex insula Taprobane legationem ad Claudium missam et ab eo sollemniter receptam esse (Nat. hist. VI 22 § 84). Talia spectacula, quae saepius in naturali historia commemorantur, in altero quoque libro Plinii descripta esse pro certo putandum est. Neque dubitari potest, quin Plinius, si tempus, quo haec legatio Romam venerat, in librum suum incidisset, eam, qua erat

---

[1]) Gercke; Seneca-Studien, Annal. Fleckeis. Suppl. XXII. 1896. pag. 169.

[2]) Gercke, l. c. pag. 164. Christensen, De fontibus a Dione in enarranda vita Neronis adhib. Dissert. Berol 1871. Teuffel, Litterat. § 338,7.

consuetudine, multis verbis descripturus fuerit. Sed neque apud Tacitum neque Suetonium neque Dionem ullum huius rei vestigium reperimus, qua ex re concludimus hanc legationem eo tempore Romam venisse, de quo Plinius in libro suo iam non tradiderit. Sed quo anno advenerit, nusquam invenire potuimus. Id solum statuimus, postquam supra demonstravimus nuptias Claudii et Agrippinae (anno 48/49.) in libro Pliniano commemoratas esse, hanc legationem ante hunc annum Romam venisse. Accedit, quod post nuptias demum Claudii talia spectacula apud Tacitum describuntur (XII. 20 36 56) et apud Dionem et Suetonium, cum in XI. libro annalium nihil huiusmodi reperiamus. Quibus rebus constituisse nobis videmur ab anno 48. Plinium initium cepisse [1]) atque Tacitum eo auctore usum esse. Hactenus de Plinio.

---

[1]) a. Apte hanc ad rem convenit, quod Plinii de Bellis Germaniae libri usque ad annum 47. pertinuisse videntur (cf. Muenzer, Die Quelle des Tacitus für die Germanenkriege, in Annal. Bonnens. 1899. pag 78, et quod nos ad XI 20 diximus (pag. 30.), ut res illic instituta nullo spatio temporis intermisso porro tractaretur. — b. Pelka (Mus. Rhen. 1906 pag. 620) quidem demonstrare conatur Aufidium de rebus usque ad annum 31. gestis scripsisse. Nisus epistula Senecae (30,1), quae scripta est post annum 57. (cf. Teuffel § 289,5), ubi est: Bassum Aufidium vidi quassum, aetati obluctantem. Sed iam plus illum degravat, quam quod possit attolli: magno senectus et universo pondere incubuit· — dicit Aufidium corporis sui non ita potentem fuisse, ut ad annum 47. scribere posset. Sed eadem epistula (3) Seneca affirmat: Bassus tamen noster alacer animo est. — Si igitur anno 57. (vel 60.) alacri animo erat, meliore iure id de anno 47. dici potest, ut satis ei temporis et otii fuerit ad opus suum usque ad hunc terminum perducendum. Neque illam argumentationem agnoscere possumus, quod si Aufidius plura narrasset, quam quae ad annum 40. pertinerent, Plinii singuli libri minus quam spatium unius anni complecterentur. Quare non ita? Plinio, utpote qui tot tantulasque res (cf. annal. XIII 31) memoria dignas putaret, sine dubio facile erat quaternos libros rebus ternis annis gestis implere (XXXI libros XXIV annis). Pluris aestimandum est, quod Cassiodorius Senator dicit se fastos consulares ex Tito Livio et Aufidio Basso et Paschali chronico clarorum virorum auctoritate firmatos collegisse (chron. min. II pag 161). Livium ipsum non adiit, sed Epitome Liviana usus est eadem, qua Orosius

De Claudio

scriptore et auctore Taciti nunc nobis dicendum est. Qui imperator in numero studiosissimorum illius aetatis scriptorum quin putandus sit, dubitari non potest. Etiam in principatu scripsit plurimum, ut Suetonius tradit (Claud. 41). Sed quid ex eius scriptis in posterum servatum sit, incertum esse intellegimus, cum Dio (LX 34 extr.) hac de re scribat: *Τὰ γὰρ γράμματα τοῦ Κλαυδίου ..... (Νάρκισσος) πάντα προκατέκαυσεν.* Fortasse in his *γράμμασι* scripta historica imperatoris erant. Polybio enim, qui Claudii minister ab studiis erat (Suet. Claud. 28) iam anno 47. a Messallina necato cum nusquam comperiamus alium hunc locum obtinuisse, verisimile est Narcisso, quem ab epistulis fuisse Suetonius eodem loco dicit, inter alia opera historica Claudii mandata esse. Quantum ex scriptis imperatoris et qualia flammis tradiderit, nescimus. Sed terminus, ad quem, quod postea supererat, pertinebat, ex Suetonio notus est (Claud. 21.

(cf. Mommsen, acta Societ. Reg. Saxon. III pag. 553, 696; Zangemeister, 36. Festschrift der Heidelb. Phil. Vers. pag. 102). Hoc argumentum interim infirmavit Münzer, qui in Musei Rhenani volumine 62. (pag. 161—169) ipse quoque de Aufidio et Plinio scripsit et utrumque librorum terminum annum p. Chr. n. 51. fere arbitratur. Deinde quis negare potest eum Aufidio eodem modo usum esse? Praeterea admodum dubium videtur, num anno 519., quo Cassiodorius chronicorum libros scripsit, Aufidii opus exstiterit, postquam anno 275. imperator Tacitus scriptoris Taciti opera in omnibus bibliothecis collocandaq quotannisque decies describenda curavit*), quo ex tempore Aufidius (et una Plinius) oblivioni paulatim traditi sunt. Sequitur igitur Cassiodorium vix opus Aufidianum ipsum habuisse. — Ipse Plinius de libro suo dicit in Nat. hist. praefat. 20: temporum nostrorum historiam, orsi a fine Aufidii Bassi. — Scriptor anno 31. VII circiter annorum puer erat, ut si huius verbi rationem habemus (i. e. temporum n o s t r o r u m historiam), nemo sit, qui credat eum, quae se puero gesta essent, libro suo inseruisse, sed ad initium saltem quinti p. Chr. n. decennii perveniamus. Anno 47. una cum Corbulone apud exercitum Germanicum fuisse atque tum librorum de Bellis Germaniae scriptorum finem fecisse videtur, ut illis A fine Aufidii Bassi libris, quorum initium anno 48. adsignavimus, Bella Germaniae continuasse videatur.

*) Flav. Vopisc. 10, 3.

initio), ubi est: Fecit et saeculares .... quamvis ipse in historicis suis prodat. — Quod Tacitus, si scripta Claudii cognovisset vel eis usus esset, praetermittere non debuit, quia ipse imperator de ludis anticipatis scripsit. Exstat tamen locus (annal. XIII 3), quo haud scio an commoveamur, ut concludamus Tacitum orationes certe Claudii ipsum vidisse: Nec in Claudio, quotiens meditata dissereret, elegantiam requireres. — Sed similius iudicium Taciti Suetonio, quam ut id concludere liceat (Suet. Claud. 40. extr.): neque infacundo neque indocto; vel Cl. 41: Magis inepte quam ineleganter (Claudium scripsisse). Ita cum consentiant Tacitus et Suetonius, iudicium potius videtur esse Plinii, benevoli in Claudium, quo magis Neroni obtrectet (annal. XIII 3). Atque orationes vel litteras Claudii collectas in publicum editas esse vix putamus. Quamquam de Augusto et Divo Julio hoc constat, qua de re ex Suetonio (Aug. 51. 71. 76. Claud. 4) et Gellio (X 24_2 XV 7_3 ubi liber epistularum Divi Augusti memoratur) aliquid accepimus. Tiberii tamen verba, cum a Tacito commemorantur, maximam partem ex actis senatus sumpta esse nobis persuasimus, qua de re infra plura exponemus. Apud Gellium quidem Tiberii verba referuntur secundum Massurium (Plin. Nat. hist. XVI § 12), cui Tiberio favente (Pompon. dig. 1, 2, 2, 48—50) certe, cum illos tres libros iuris civilis scriberet, actorum facultas data est, ex quibus haec verba sumpsit (Gellius V 6, 13—14). Omnino si corpus orationum Tiberii exstitisset (quod ex annal. II 63 a paucis concluditur) sine dubio in manibus Domitiani fuisset, qui praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris nihil lectitabat (Suet. Domit. 20). Atque idem, quod de Tiberio exposuimus, de Claudio dicendum videtur, quoniam nullo vestigio litteras vel orationes eius in publicum editas esse monstratur. Ceterum quae Claudius in orationibus suis apud senatum habitis dixerit, eum si non eisdem verbis, at certe eadem sententia in commentariis suis de vita sua repetivisse satis verisimile

est. Tamen nihil habemus, quo concludamus Tacitum eius scriptis usum esse (id quod Suetonius fecit). Immo eo loco, quo occasio data erat Claudii scriptoris commemorandi, Tacitum breviter rem ibi narrandam praeterisse (lud. saecul. Tac. XI 11 et Suet. Claud. 21) supra diximus. Claudii igitur scriptoris in disputatione nostra ratio non videtur habenda (uno excepto loco, cf. pag. 29 ad XI 14.)

De commentariis Agrippinae

apud Tacitum (IV 53 extr.) haec sunt: Id ego a scriptoribus annalium non traditum, repperi in commentariis Agrippinae filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit. Hoc Agrippinae libro illo tempore complures scriptores usi sunt, quod ex Plinio comperimus, qui eum in VII. libro Nat. hist. § 46 nominat. Sed Tacitus hunc librum ita commemorat, ut quomodo et quatenus usus sit, appareat: Quod enim apud ceteros auctores reperire non potuit, id demum postremo apud Agrippinam quaesivit. Simile aliquid ex annal. III 3 cognoscimus: non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio. — Mulierem tanta impotentia, qua erat mater Neronis, hos commentarios certo consilio scripsisse, nemo est, quin concedat. Quod adepta, ubi ipsa uxor imperatoris filiusque heres imperii evasit, finem commentariorum eam fecisse credibile est, ut vestigia huius fontis in XI. potissimum libro reperiamus.

De commentariis Corbulonis

nihil fere dicendum est, postquam Mommsen[1]) monstravit illos commentarios, quibus Tacitus se usum esse ipse alio loco (XV 16) profitetur, nihil esse nisi relationes[2])

[1]) M., das Verhältnis des Tac. zu den Senatsacten. Acta Reg. Soc. Berol. 1904. XXXIX pag 8. [4]).

[2]) Quod ea ex re concluditur, quod apud Plinium, qui bis hos commentarios inspexit, VI 23, § 40 „situs depicti et inde (i. e. ex Armenia) missi" nominantur.

eius ad senatum missas, quae collectae hoc titulo editae sunt. Ante expeditionem Syriacam, ubi Corbulonis apud Tacitum mentio fit, hoc de libro non est cogitandum.

De actis senatus et populi

disputare ad postremum servavimus. Utrisque se usum esse scriptor ipse declarat: XV 74 reperio in commentariis senatus; III 3 non diurna actorum scriptura reperio. In duobus illis libris, de quibus scripturi sumus, semel acta memorantur: XII 24 et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum. — Quod hic Tacitus scribit, etsi videtur satis perspicuum esse, tamen non defuere, qui haec verba aliter interpretarentur atque si quis animo non occupato ad rem adierit. Componimus, quibus id cognoscatur:

Ritter, adnot. ad XII 24 (in edit. Cantabrig. 1848. cf. Schanz, hist. litt. vol. II 2 pag. 252) „Publicis actis" dicit acta senatus et populi Romani diurnam scripturam.

Fabia, Les sources de Tacite. Paris 1893. pag. 323. Nominantur quoque in XXIV. capite XII. libri acta publica, quae sunt neque senatus neque populi.

Nipperdey, in editione, adnot. ad XII 24: acta diurna vel populi Romani, de quibus ad III 3, hic dici non possunt. Erant publica documenta, inscriptiones.

Leo, Die staatsrechtl. Excurse in Tac. Annal. Acta Soc. Goetting. 1896. 18. Juli. pag. 200,2.
Acta publica non sunt diurna, ut Nipperdey recte dicit, sed „incisa notis marmora publicis."

Sed priusquam ad horum sententiam propius accedimus, videamus, quid apud antiquos scriptores de actis publicis reperiamus.

Suet. Tib. 5. In fastos actaque in publica relatum est. (De partu Tiberii; cf. Calig. 8.)

Plinius, epp. V 13 8 (liber principis) est in publicis actis.
„ VII 33 3 cum sit in publicis actis (causa provinciae Baeticae).

Plinius, panegyr. 75. quae vos, patres conscripti, et in publica acta mittenda et incidenda in aere censuistis.
Capitolin. Gord. 4, de professione neonatorum scripsit: Cum apud praefectum aerarii more Romano professus filium publicis actis nomen eius insereret. (De simili re ioci causa ficta cf. Petron. cap. 53.)

Quid hic significent acta publica, hac de re nunquam dubitatum est. Sed quae apud Tacitum XII 24 nominantur acta publica, non sunt acta publica, si Ritterum Fabiam Nipperdeium Leonem sequimur. Quamvis magni horum virorum auctoritatem et acumen ingenii aestimaverimus, tamen vix intellegimus, quomodo ad hanc interpretationem venerint. Quod Nipperdey et Leo proposuerunt, Plinii verbis satis lucide refutatur, cum has duas res, acta et inscriptiones, inter se contrarias ponit, panegyrici 75: et in publica acta mittenda et incidenda in aere censuistis. Quae Nipperdey Fabia Leo acta publica hic (XII 24) esse putant, ab antiquis scriptoribus nominantur monumenta publica (Plin. epp. VIII 6 14) vel aes (panegyr. epp. l. c.) vel aes publicum (Tacit. annal. XII 53 XI 14); nunquam autem acta publica, quae semper sunt acta diurna populi Romani (vel urbis). De Ritteri sententia non multum dicere oportet. Nemo est quin sciat e temporibus Augusti acta senatus ab usu publico secerni, ut Suetonius tradit in vita Augusti 36: Augustus auctor fuit, ne acta senatus publicarentur (postquam Caesar (Sueton. Caes. 20) primus omnium instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur). Meliore iure Ritter acta senatus nominare potuit „acta secreta".

Operae pretium esse nobis videbatur pluribus verbis demonstrare, quid sint acta publica, praesertim cum ita monstraverimus Tacitum XII 24 (de pomoerio) publica acta inspexisse, qua de re suo loco plura dicemus. Sed etiam hunc si non haberemus locum, tamen id notum nobis esset. Nam scriptor ipse profitetur se his actis usum esse (XIII 31 ut praetereamus, III 3: non diurna

actorum scriptura reperio), quae etsi non magni aestimabat (XIII 31), tamen saepius adiit quam dicit ipse. Exempli causa duos locos [1]) affero, quibus hoc perspicitur: II 41 Fine anni arcus propter aedem Saturni ob recepta signa cum Varo amissa ductu Germanici, auspiciis Tiberii, et aedes Fortis Fortunae Tiberim iuxta in hortis, quos Caesar dictator populo Romano legaverat, sacrarium genti Juliae effigiesque Divo Augusto apud Bovillas dicantur. — Tota ratio dicendi non Tacitea videtur, praesertim si hanc relationem cum superiore confers. Sollemnibus verbis: auspiciis Tiberii, Divo Augusto — publicorum actorum haec verba esse ut concludamus, commovemur. Idem ad 49. caput pertinet, ubi complures templorum dedicationes enumerantur, quas Tacitus potissimum in actis populi invenire potuit. Sed raro in his libris (i. e. in XI. et XII. libro) nobis occasio dabitur demonstrandi Tacitum acta diurna adisse, quamquam non dubitamus, quin ei saepius utilitati fuerint. Sed ad

Acta Senatus

nos vertamus, quae semel [2]) Tacitus se inspexisse dicit: XV 74 Reperio in commentariis senatus. Sed hunc locum a Tacito postea additum esse, sunt qui contendant, ea mente ne ullo loco demonstrari possit eum actis usum esse. Nos contra etiam de altero loco id affirmamus (II 88), ubi traditur: reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum Adgandestrii. Jac. Grimm quidem nomine Adgandestrii offendebatur, (quod Germanicum non esset) et Bezzenberger scribendum proposuit: senatoriis-

---

[1]) secundum Weidemannum, qui primus gravibus argumentis Tacitum utrisque actis usum esse demonstravit (Die Quellen von Tac.' Annal. Buch I—VI. Progr. Gymn. Cliviens. 1868. 1869. 1873.) Nuper Stein (Die Protokolle des röm. Senats und ihre Bedeutung als Geschichtsquelle für Tacitus. 43. Jahresbericht der ersten deutschen Staatsrealschule — Prag 1904) Weidemannum subsecutus monstrare conatur Tacitum fortasse unum fontes qu. d. primarios adisse (cf. Wolff, Wochenschrift für Klass. Philol. 1904. No. 43).

[2]) De loco dubio II 88 infra dicemus.

que eorumdem temporum actis. Quod Tacitus ablativum et praepositionem apud una ponit, cf. III 3 (apud et in cum ablat., cf. I 81). Quod Nipperdey pronomen eorundem ineptum nominat, libenter eum sequimur, sed eodem iure eis verbis, quae scribi vult: „auctores senatoresque eorundem" temporum nos offendimur atque proponimus hanc scripturam: Reperio apud auctores senatoriisque eorum temporum actis (syllaba dem propter διττογραφίαν deleta). Namque ipse usus loquendi Taciteus nobis argumento est, qui scriptor verbo reperiundi, ut significet se aliquid scripti quaesivisse et legisse, septies in annalibus utitur, quos locos hic componimus:

I 81 adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius (i. e. Tiberii) orationibus reperiuntur.

II 88 reperio apud scriptores (senatoriisque eorum temporum actis).

III 3 non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio.

III 58 nam in libris caerimoniarum reperiri.

IV 53 repperi in commentariis Agrippinae filiae.

VI 7 originem non repperi.

XV 74 reperio in commentariis senatus.

Vocabulo reperiundi ita Tacitus nunquam de quovis libro historico usus est, sed se repperisse aliquid non dicit nisi in actis, in commentariis senatus, Agrippinae, in libro caerimoniarum [1]). At 62 locis Taciteis a Fabia (l. c. pag. 161) compositis, quibus auctores nominantur, nusquam verbum reperiundi conspicimus uno illo excepto: II 88. Intellegimus igitur Tacitum, cum acta vel similem testem nominat, verbo uti reperiundi [2]), cum alium auc-

[1]) De I 81 iam supra diximus (pag. 10). Idem Mommseno videtur (cf. Das Verhältnis... pag. 5 adnot. 1.); satis igitur habemus, cur nobis persuaserimus eum VI 7 ex actis senatus sumpsisse.

[2]) Quam diligenter hunc usum servaverit, ex XIII 31 cognoscimus, ubi est: cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus ..... quod ita interpretamur: res illustres P. R. qua est dignitate, in annalibus reperiuntur. — Quare is locus illis VI addendus videtur.

torem, verbo inveniendi (velut hist. II 37: invenio apud quosdam auctores). Qua ex re sequitur eum, quod II 88 traditur, non apud scriptores solos repperisse, sed etiam in altero illo genere. Atque si quid repperit, id solum in actis reperire potuit, ut satis firmata videatur, quam supra commendavimus, scriptura. Addimus Tacitum sexies se aliquid repperisse scribentem, ter actis auctores vel scriptores opposuisse (I 81 II 88 III 3)!

Scriptorem multis aliis locis acta adisse, ex Weidemanni disputationibus (l. c. cf. pag. 14. adnot.), qui primus hanc rem illustravit, aliorumque elucet.

Quod contra eos dicitur, qui Tacitum acta diurna adisse censent, idem de senatus actis dici solet: Difficilius fuisse ad singulas res reperiundas omnia tot annorum acta perlustrare. Sed quam facile fuerit, ex Plinii exemplo discimus: Plinio, cum in monumento Pallantis Claudii liberti inscriptionem legisset, qua curiosus factus est (epp. VIII 6_2): visum est pretium operae ipsum senatus consultum quaerere. Inveni, inquit. Nihil scriptum legimus hanc perscrutationem molestam et difficilem fuisse. Quaesivit — invenit! quamquam spatium 56 annorum intererat. Mommseni ordinem chronologicum si sequimur, haec epistula circa annum 108. vel 109. scripta et in publicum edita est[1]), quo ipso tempore Tacitus annales scripturus erat. Cui quin tum facultas fuerit acta senatus adeundi, nemo dubitabit, praesertim cum Tacitus, qui anno 97. consul fuerat, scriptor clarissimus virque summo magistratu perfunctus, apud imperatorem in summo honore esset. Contra dictum est rationem scribendi antiquis aliam fuisse atque nostris temporibus. Negant adversarii illos scriptores fontes quos dicimus primarios adire solitos esse. Attamen non ignoramus fuisse, qui talibus fontibus diligenter usi sint: Aristoteles, ut ab Graecis ordiamur, tabularia Atheniensium perlustravit, cum librum de re-

---

1) Hermes III (1869) pag 31.

publica Atheniensium scriberet[1]). Timaeus inscriptiones columnarum et templorum collegit atque etiam acta Carthaginiensium et Phoenicum inspexit[2]); Craterus [3])corpus composuit, quod inscribebatur: Ψηφισμάτων συναγωγή. Polybius[4]): Tabularia Romana Rhodia Achaica Macedonica adiit. Fascem actorum Josephus operi suo iniunxit, quem ex Nicolai Damasceni libro sumpsit. — E Romanis scriptoribus primum Q. Asconium Pedianum nominamus, qui aequalis fere Taciti (circa annum 80. mortuus est) ipse scribit (edid. Kiessling-Schoell pag. 39): Ego ut curiositati vestrae satisfaciam, acta[5]) etiam totius illius temporis persecutus sum. Neque Asconius solus ita agebat. Tacitus ipse de altero quodam Cratero nos docet (dial. 37): Vetera a Muciano contrahuntur ac iam undecim, ut opinor, actorum libris composita et edita sunt. Neque semel Plinius maior acta nominat: Nat. hist. ind. l. l. VII. VIII. X. Suetonius, qui eodem tempore scripsit quo Tacitus, multa ex actis hausit: Acta publica Tib. 5; Calig. 8; Claud. 41 extr.; acta senatus, Aug. 5. ipse dicit. Sine dubio autem Suetonius, qui paulo antequam librum edidit, magister epistularum fuerat, permultis locis acta adhibet nec nominat. Ipse Tacitus se ea adiisse profitetur; sed quaeritur, quatenus iis usus sit. Diversissime hac de re iudicatum est. Mommsen[6]) quidem dicit acta senatus temporibus principum funda-

[1]) Hude in editione (Lips. Teubn.) pag. 2; Christ, Geschichte der griech. Litt. München 1905. § 326. Idem, quod de Aristotele, iam de Thucydide dicendum videtur, qua de re cf. Kirchhoff, Thucydides und sein Urkundenmaterial; Buedinger in commentar. Acad. Vindobon. vol 39.

[2]) Christ. l. c. pag. 571.

[3]) eod. loco, pag. 578.

[4]) Wachsmuth, Einleit. in das Stud. der alten Gesch. pag. 244.

[5]) Quae sint ea acta, incertum videtur: Schanz (Röm. Litt. II 2 München 01, pag. 335) dicit acta populi eum inspexisse; Wachsmuth (l. s. pag. 669): eum acta senatus perlustrasse. — Sed tum et senatus acta et publica uno volumine publicabantur; cf. Hirschfeld pag. 3 [v. pag. 23 [1])].

[6]) Staatsrecht III 2 pag. 1021.

mentum historiae illius aetatis fuisse; et alio loco[1]): Romanorum historiam ex actis senatus natam esse. Groag[2]): incredibili fuisset neglegentia Tacitus, si omisisset actis senatus uti. — Alii eum acta inspexisse plane negant. Quae XV 74 ex actis sumpta memorat, postea eum addidisse dicunt[3]). Quod XIII 31 cum contemptu acta populi nominat, non est, cur eum acta diurna omnino despexisse concludatur, cum id solum dicat Plinium, qui illo loco auctor eius erat[4]), res, quas potissimum in actis diurnis legas, operi suo (A fine Aufidii Bassi) adiunxisse. Altero loco (III 3), ubi acta populi adiit, non contempsisse videtur.

Ac Tacitus cum duobus in libris, quos perscrutabimur, acta diurna semel aperte nominet (XII 24), acta senatus nusquam commemorat. Priusquam igitur affirmamus eum etiam his usum esse, certa vestigia nobis demonstranda sunt. Atque primum quidem scriptor viros, qui Claudio monente a senatu summis honoribus affecti sunt, solus nominat, cum apud ceteros auctores, ut Suetonium et Dionem, nihil eiusmodi reperiamus. Excipimus eos, qui omnibus noti fuerunt, ut M. Junium Silanum, Claudii generum futurum, cuius mentio fit et apud Tacitum XII 3 et Suetonium Claud. 24 et Dionem LX 31 7. Accedit, quod de eo tempore, quo Silanus mortuus est, Plinii liber his tribus scriptoribus testimonio fuit[5]). Alios autem viros, qui non sublimi loco nati erant, eodem in libro Tacitus, cum de senatu aliquo dicit, nominare solet, neque tamen apud Suetonium et Dionem eorum nomina reperimus. Exempli causa dico:

XII 28 decretusque Pomponio triumphalis honos.
XII 38 censentur Ostorio triumphi insignia.

---

[1]) Das Verhältnis . . . pag 1.
[2]) Annales Fleckeis. 1897. pag 714.
[3]) Das Verhältnis . . . pag 5, adnot. 1.
[4]) Id pag 3 pluribus exposuimus.
[5]) hac de re cf. pag 4.

XI 20 insignia tamen triumphi indulsit Caesar (Corbuloni) nec multo post Curtius Rufus eundem honorem adipiscitur.

Neque mirum est, quod de Rufo neque Dio neque Suetonius dicunt, cum hic ne Corbulonis quidem mentionem fecerit. Ille autem locus, quo Corbulo et a Tacito et a Dione memoratur, ab iis ex eodem auctore sumptus est, qua de re ad XI 20 nobis dicendum erit. Post triumphalia insignia tria alia exempla affero:

XI 4. Insignia praeturae Crispino decreta sunt.

XII 21. Consularia insignia Ciloni[1]), Aquilae praetoria decernuntur.

Dignum quoque memoratu est Tacitum solum memoriae prodidisse damnatum esse lege repetundarum Cadium Rufum (XII 22 extr), cui rei id addimus, quod haec causa Claudio regnante una fuit. Si nobiscum reputamus has omnes quas postremo enumeravimus res ad senatum pertinere eiusque ex auctoritate (imperatore auctore) decretas esse, id sufficere nobis videtur, ut demonstremus Tacitum acta senatus adisse. Ipse alio loco (XI 7) fastidio quodam in ceteros eorum temporum scriptores commotus bonis suis testimoniis gloriatur: Neque sum ignarus plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata. Si Tacitus, quae tum ne in optimis quidem libris invenire potuit, alibi repperit, is testis quin primi ordinis fuerit, nemo dubitabit. Nusquam autem quae quaesivit, certius et melius reperire potuit quam in actis senatus. Quam ad rem propius accedere saepius nobis occasio erit.

Restat, ut de scriptoribus, quibuscum Tacitum comparamus, pauca verba faciamus. Jam diu notum erat Suetonio et Dioni cum Tacito multa vel ad verbum communia esse, cuius rei exemplum est Tac. I 5 et Suet. Tib. 21.

[1]) Idem Suetonius tradere videtur in vita Claudii 24: Ornamenta praetoria etiam procuratoribus ducenariis indulsit (cf. Nipperdey, adnot. ad XII 21), sed alio tenore id narrat.

Tac.: Vixdum ingressus Illyricum properis matris litteris
Suet.: In Illyricum profectus est. Et statim ex itinere
accitur neque satis compertum est
revocatus iam quidem affectum, sed tamen
T spirantem adhuc Augustum an exanimem reppererit.
S spirantem adhuc Augustum repperit.[1])

Tacitum Suetonio vel Suetonium Tacito auctore usum esse credere non licet. Nam amborum libri eodem fere tempore in publicum dati sunt: Taciti annales post annum 117. Suetonii opus, quod C. Septicio dedicatum erat, qui anno 120, praefectura praetorii functus est, hoc anno[2]). Cum igitur apud ambos scriptores eadem eisdem vel similibus verbis narrata invenimus, concludendum est eos eodem usos esse auctore. De Dione, quippe qui saeculo post hos Historiam Romanam scripserit et ediderit, paulo difficilior est res. »Si quis rogaverit, num Dio Taciti libris usus sit, id ab omnibus negatur, qui hac de re iudicare possint.«[3]) Num a Suetonio pendeat, incertum est neque plane negari potest. Sed praecipue Plinii libros qui erant A fine Aufidii Bassi eum exscripsisse, inter alios Gercke et Christiansen statuerunt[4]). — — Quoniam his de rebus quae aptae esse videbantur, quibus legentes propius ad rem adduceremus, satis multa diximus, iam est ad rem ipsam accedendum. Singula enim capita XI. et XII. annalium librorum, quo inter se sequuntur ordine, perscrutantes adhibebimus, quae supra exposuimus.

---

[1]) cf. Tac I 6 Suet. Tib. 22, Claud. 29.
[2]) cf. Rothii edit. Suet. pag. IX.
[3]) Schwartz apud Pauly—Wissowa Vol III pag. 1714.
[4]) cf. pag 4 adnot 2 nostrae disputationis.

Caput alterum.
De auctoribus undecimi annalium libri.

Initio huius libri Tacitus causam et mortem Valerii Asiatici tradit. Tales cognitiones secreto in aedibus imperatoris habitas esse, aliis locis accepimus [1]. Nihil est, unde quo auctore scriptor usus sit, concludamus, nisi quod cum Dione non consentit et auctorem Messalinae inimicum fuisse saepius cognoscitur. Apud Tacitum Valerius propter lacrimas, apud Dionem [2] propter risum eorum, qui ex consilio Caesaris aderant, paene absolutus esse dicitur. Ceterum nihil his duabus narratiunculis inter se commune est: Uterque autem auctorem secutus est, qui quae in Palatio gesta sunt, bene noverit. Cogitaveris de Servilio Noniano, qui a Tacito [3] magni aestimatus „vir consularis annalibus suis inseruit" [4] quae Tiberio Caesare vidit. Idem apud Claudium in summo honore erat, [5] ut sine dubio e consilio eius esset talibusque causis interesset. Putaveris etiam propter inimicitias in Messalinam hic commentarios Agrippinae fontem Taciti fuisse; sed num ad Dionis tempora duraverint, dubitamus. Quot auctorum nomina, tot coniecturae. In dubio igitur res nobis relinquenda est.

In illa, quae sequitur causa enarranda Tacitus duobus vel pluribus auctoribus usus est. Multis verbis dicit de Petrarum crimine, quod cur tam diligenter referat, vix intellegitur. Post Tacitus ita pergit: Sestertium quindecies et insignia praeturae Crispino decreta. Adiecit Vitellius sestertium decies Sosibio. Rogatus sententiam et Scipio (cuius verba oratione recta referuntur). —

[1] Mommsen, Staatsrecht III 2 pag. 904 adnot. 1.
[2] Dio LX 29 4–6.
[3] Annal. XIV 19 Dialogus 23.
[4] Suet. Tib. 61.
[5] Plin. epp. I 13 3.

Tacitus unus Crispino insignia praetoria decreta esse tradit, qua ex re quid concludendum sit iam supra exposuimus (pag. 19). Qua re si satis iam habere nobis videmur, cur fundamentum huius capitis acta senatus fuisse arbitremur, id firmatur verbis Scipionis, quae a Tacito inventa esse vix quisquam putaverit. In eodem libro repperit, quae de Petrarum crimine tradit, atque sicut repperit, ita refert. Tum demum addit, quae apud alios invenit, et opponit: Quidam inquit tradidere. Priorem igitur testem pluris aestimarit atque ceteros. Qui hi „quidam" fuerint, cum neque Suetonius neque Dio his de rebus aliquid tradant, cognosci non potest nisi eos in numero optimorum auctorum non habendos esse, quamobrem non necesse videtur quaerere, utrum Aufidius an Cluvius an alii fuerint. Cognoscimus autem scriptorem praeter primarium auctorem alios adhibuisse!

In eis, quae sequuntur capitibus clarius cognoscemus. In quibus senatus tam distincte describitur, [1]) ut singulae eius partes discerni possint. Hoc in senatu: incipiente C. Silio consule consurgunt patres legemque Cinciam flagitant ...., deinde obstrepentibus eis, quibus ea contumelia parabatur, discors Suillio Silius acriter incubuit .... (oratio, quam Silius tum habuit, admodum copiose refertur) .... talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, qua lege repetundarum tenerentur, cum Suillius et ceteri circumsistunt Caesarem. Et postquam adnuit, agere incipiunt (eorum quoque defensio simili, qua verba Silii, diligentia traditur) ... decernit rem princeps. — — Paucis lineamentis has res in senatu actas componimus:

1) Silius C D refert de lege Cincia (c. V).
2) Obstrepunt eius adversarii (VI)
3) Consentiunt alii
4) Paratur sententia
5) Circumsistunt ceteri Caesarem deprecantes

[1]) Huebner, De senatus populique Romani actis (Annal. Fleckeis. vol. suppl. III. pag. 557).

6) Nutu eius agere incipiunt (VII)
7) Decernit Caesar [1])
Auctor huius legis omnibus, qui Taciti opera legunt, bene notus est, neque Tacitus animum legentis in eum advertere praetermisit his verbis: C. Silius, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo. — Scriptor quasi ipse se interrumpit, quod non fecisset, si historiam continuum exscripsisset. Suetonius et Dio de Silio nihil tradiderunt nisi eius cum Messalina adulterium, ut in suis exemplaribus nihil harum rerum, quamquam memoratu dignae videntur, eos invenisse appareat. Itaque errare nobis non videmur hic arbitrati scriptorem acta senatus exscripsisse, in quibus potissimum, ne dicam: in quibus solis, haec omnia reperire potuit.

Octavi capitis initium est: Sub idem tempus. — Saepius apud Tacitum hanc vel similem formulam reperimus, cum ab altera re ad alteram, cui nihil cum illa commune est, transit. His capitibus (VIII. — X.) narrat, quae ab anno 42. usque ad 48. gesta sint. [2])

Atque extremo X. capite refert legationem Parthorum Romam missam esse, sed quae ibi assecuta sit, XII 10 demum exponuntur nuptiis Claudii et Agrippinae ante descriptis. Legati Parthorum, id quod infra intellegemus, extremo anno 48. vel ineunte 49. (cf. XII 10) in senatum introducti esse videntur, qua ratione accidit, ut Tacitus hoc loco (XI 10) iam scripserit, quae biennio fere post ad finem perducta sunt. Nam cum XI 11 pergit: Isdem consulibus ludi saeculares .... ad annum 47. redit ad mensem Aprilem. Roma enim condita est, Varronem si sequimur, a. d. X. Kal. Mai. hisque diebus Claudius sine dubio saeculares ludos celebravit, post quos munia

[1]) Qua diligentia res in senatu actae, quatenus ad imperatorem pertinebant, actis receptae sint, ex ea re cognoscas, quod vel acclamationes patrum non solum senatus actis recipiebantur, sed etiam in publica acta mittebantur (Plin. panegyr. 75). De actis senatus et acclamationibus patrum, cf. Otto Hirschfeld in Actis Reg. Acad. Berol. 1905 XLV.

[2]) Nipperdey ad XI 8.

censoria usurpavit (XI 13), quibus more prisco 18 menses functus est, ut mensis october anni 48. lustro condito (XI 25 extr.) Claudio finis censurae inscitiaeque erga domum suam fieret. Sed Claudiusne revera mense Aprili munus censorium adiit? Nipperdey in adnot. ad XI 13 dicit initium censurae iam prius relatum esse: in ea parte XI. libri, quae periit, quod Claudius C J L XI 5959 (anni 47) censor designatus appellaretur. Peter [1]) Claudium et Vitellium Kalendis Jan, munera censoria adeuntes inducit. Sed ex Taciti verbis: munia usurpans — apparet Claudium eo tempore hoc munus adisse, de quo hoc loco refertur, i. e. post ludos saeculares (exeunte mense Aprili) Quid significet: usurpare, ex VI 11 elucet, ubi est: praeficitur, qui consulare munus usurpet (= adeat). Neque apud solum Tacitum hanc vim verbi cognoscimus, sed etiam apud Vell. Paterc. II 27,5: Sulla Felicis nomen quod quidem usurpasset . . . . , ubi usurpare idem est atque assumere. [2]) Ceterum semper mense Aprili censores munus adibant,[3]) mense igitur Octobri proximi anni se abdicabant. Bene hac cum re consentit, quod tum Claudius Ostiam profectus est: ut Dio LX 31 4 tradit: πρὸς ἐπίσκεψιν σίτου, qua ex re concludere licet autumnum ea tempestate fuisse. Mensem denique ipsum e Tacito cognoscimus XI 31, ubi est: Messalina adulto autumno simulacrum vindemiae celebravit. Autumnus autem adultus est mensis October [4]). Deinde Claudius Agrippinam uxorem duxit, i. e. ineunte anno 49. Quo facto „per idem tempus legati Parthorum senatum ingrediuntur" (XII 10), ut legati initio demum anni 49., quae voluerunt, assecuti sint, biennio post adventum intermisso, si Tacitus tantum ad mensem Aprilem anni 47.

---

1) Peter, Historia Romana, Halis 1883. vol. III. pag. 281.

2) cf. Cic. in Verrem, I V. 20 § 51: imperium quotannis usurpatum ac semper retentum. cf. Doederlein, Synonyma Latina, Lipsiae 1823, vol. III pag. 137.

3) Schiller, Antiquitates Rom. apud J. Mueller IV 2 pag. 548.

4) Serv. ad Verg. Georg. I 43.

historiam rerum Parthicarum tradidisset, quod verisimile non est. Scriptor igitur res Parthorum non temporum ordine rettulit, sed longius aetatis processit, ut hic ad 47. annum referat, quae ad 49. demum referenda erant. Atqui ipse se quae singulis annis gesta essent, collegisse atque una narrasse nusquam dicit, cuius rei exemplum est XII 41 extr; ergo satis verisimile videtur eum continuum de rebus Parthicis librum habuisse, quo eodem infra XII 10—21 usus est. Jam supra (pag. 11) cognovimus relationes Corbulonis (iussu senatus?) collectas in publicum editas esse. Fortasse longius procedere nobis licet ac suspicari Tacitum librum habuisse de rebus apud Parthos Claudio et Nerone imperatoribus gestis; neque id audacius videtur esse, cum cogitamus Plinium de bellis Germaniae viginti libros scripsisse (Plin. epp. III 5_4), Tacitum ipsum de Germania, ut tales libri, quos monographias nos dicimus, tum rari fuisse non videantur, cuius rei in historia litterarum illius aetatis satis exemplorum reperiuntur.

De ludis saecularibus scriptor, quare nihil fere referat, ipse dicit. Claudii commentarios, quem de ludis scripsisse supra vidimus (pag 9.), si eis usus esset, certe hic commemorare non neglexisset. Sed quae sequuntur, mira quadam sunt similitudine coniuncta cum Suetonio (vita Neronis 7) et Cassio Dione (LX 2 extr). Apud Tacitum scriptum legimus: Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troiae inirent interque eos Britannicus imperatore genitus et L. Domitius adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium loco praesagii acceptus est. — Suetonius hac de re scribit: Namque tener adhuc nondum matura pueritia circensibus ludis Troiam constantissime favorabiliterque lusit. Undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est. — Utrum casu accidt, ut Tacitus nomini Neronis „favorabiliter ludentis" idem addiderit quod Suetonius: Claudium eum brevi post adoptasse; an eodem quo ille usus est auctore? Sed plus inest

similitudinis. Apud Suetonium antea narrationem de serpente reperimus, „quae missos a Messalina, qui Neronem meridiantem strangularent, e pulvino se proferens conterritos refugavisse dicitur.“ Neque Tacitus hanc rem silentio praetermisit, sed nullo verbo interiecto hoc modo pergit: Vulgabaturque adfuisse eius infantiae dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimilata. Apertum est auctorem huius fabellae Neronem alterum Herculem fingere studuisse, quod iam Tacitum intellexisse his eius verbis apparet: fabulosa et externis miraculis adsimulata. — Dissipatus igitur hic rumor est ad Neronem in sublime tollendum. Deinde si scriptum legimus Messalinam in Agrippinam et subolem virilem Germanici saeviisse, iam intellegimus hunc auctorem Messalinae amicum (vel potius amicam) non fuisse, immo Germanici familiae valde favisse. Num audacius erit suspicari hunc fontem commentarios Agrippinae fuisse? Tacitus illam de serpente narrationem alio loco posuit, ac Suetonius et Dio: scilicet ille ipsis commentariis usus est, hi per Plinium, quod optime ex Dione cognoscemus, qui relato illo Domitii patris, quod apud Suetonium (Nero 6) ad verbum traditum reperimus [1]), idem de serpente refert (LXI 2 extr): *λεβηρὶς περὶ τὸν αὐχένα* [2]) *τοῦ Νέρωνος παιδίου ἔτ' ὄντος εὑρεθεῖσα.* Tacitus igitur hic Agrippinae commentarios adiit.

Proximo capite complura edicta Claudii censoris breviter enumerantur. Quae inerant, ita scriptor tradit, ut credas acta populi te legere, cum notum sit ea illis temporibus brevissime novas leges vel edicta vel similia rettulisse (dubitarii autem non potest, quin Claudius edicta

---

[1]) Dio LXI 2: *ἀδύνατόν ἐστιν ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἐμοῦ καὶ ἐκ ταύτης γεννηθῆναι;* Suet. Nero 6: Nihil ex se (Domitio) et Agrippina nisi detestabile et malo publico nasci potuisse, — quae nos de duobus locis Plinianis admonent, ubi Nero hostis generis humani (VII 46) et venenum alterum (XXII 92) nominatur.

[2]) *αὐχήν* = cervicalia (Suet. Nero 5).

sua censoria cum senatu communicaverit, ex cuius actis, quae idonea viderentur, actis diurnis tradebantur). Plinius enim in libro qui inscribitur Panegyricus, haec scribit (cap .75): . . . . quae vos, patres conscripti, ne qua interciperet oblivio, et in publica acta mittenda et incidenda in aere censuistis. Antea orationes principum tantum eiusmodi genere monumentorum mandari aeternitati solebant, acclamationes quidem nostrae parietibus claudebantur. — Qua ex re satis cognoscimus, quam breviter orationes principum et omnia, quae ad eos pertinebant, relata s nt, ut concludere liceat XIII. caput ex actis publicis petitum esse. Sed eodem iure hand scio an dicamus Tacitum, quae multis verbis relata in actis senatus repperit, in hanc formam redegisse.

Jam vero de numero litterarum, quem Claudius censor auxit, plura dicenda sunt. Nam vix putaverit quispiam totum XIV. caput, quo historiam litterarum ex antiquissimis temporibus enarrat, in actis publicis eum invenisse, id quod de ceteris edictis censoriis XIII. capite enumeratis primum dixeramus. Priusquam autem ad hanc rem propius accedimus, conferamus, quae Plinius in Naturali historia (VII 56 § 192) de litteris refert, cum Taciti verbis (XI 14):

Primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant (ea antiquissima monimenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur) et litterarum semet inventores perhibent, inde Phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae gloriamque adeptos, quasi reppererint, quae acceperant. Quippe fama est Cadmum classe Phoenicum vectum rudibus adhuc Graecorum populis artis eius auctorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum et temporibus Troianis Palamedem Argivum memorant sedecim litterarum formas, mox alios ac praecipue Simonidem ceteros repperisse. At in Italia Etrusci ab

Pl. alii apud Aegyptios (litteras) repertas volunt.

. . utique in Graeciam intulisse

e Phoenice Cadmo,

sedecim numero, quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor . . . . . totidem post eum Simonidem melicum.

Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt; et forma litteris Latinis quae veterrimis Graecorum. Sed nobis quoque paucae primum fuere, deinde additae sunt.

In Latium eas attulerunt Pelasgi . . . . quarum omnium vis in nostris recognoscitur.

Apud Tacitum et Plinium Cadmus in Graeciam (litteras) intulit, ut apud utrumque verbum inferendi inveniamus. Palamedem nominans uterque eius aetatem addit: Tac. temporibus Troianis, Plin. Troiano bello [1]). Tum numerus litterarum, quae illis diebus erant, nominatur. Sane hic paulum inter se differunt scriptores, cum Tacitus XVI. litteras dicat fuisse temporibus Palamedis, Plinius eum XVI., quae tum essent, quattuor addidisse. Post Palamedem Simonidem commemorant. Deinde litteras Latinas ex Graecis ortas esse neuter omittit. Plinius praeter Claudium (?) alios auctores secutus est, quos singillatim enumerat. Apud Tacitum autem Claudium, ut suspicamur atque demonstrabimus, solum loquentem audimus, tota sua doctrina antiquitatum [2]) se iactantem. Itaque Etruscos Italicarum gentium primos eum dicere nemo mirabitur, qui sciat eum iuvenem eorum historiae studuisse atque Graeca lingua de Etruscis viginti libros scripsisse [3]). Ceterum quanto ardore Claudius Tuscorum historiae studuerit notitiamque suam omni occasoine in lucem ut produceret, operam dederit, manifestum fit ex oratione Lugdunensi [4]) idemque, ut videbimus ex proximo capite. Feliciter accidit, ut Suetonius tradiderit [5]) eum privatum de novis litteris volumen

1) Aliter de antiquitate litterarum Flavius Josephus, Claudii aequalis, iudicat (contra Apionem I 2): *τοὺς ἐπὶ Τροίαν στρατεύσαντας τὴν νῦν οὖσαν τῶν γραμμάτων χρῆσιν ἀγνοεῖν.*

2) Sen. *Ἀποκολοκύντωσις* V extr.: Claudius gaudet esse illic (i. e. in Olympo) philologos homines.

3) Suet. vita Claudii 42.

4) CJL XIII, 1668 in media prima columna.

5) vita Claudi 41. cf. Buecheler, De Ti. Claudio Caesare grammatico, Elberfeld 1856.

edidisse, e quo Tacitum et Plinium sua sumpsisse satis nos demonstravisse putamus. Atque cum iam tum aliam doctrinam exstitisse Josephus doceat, eorum aequalis (pag. 28 adnot. 1), magis verisimile fit utrumque auctorem Claudium secutum esse [1]).

„Rettulit deinde ad senatum super collegio haruspicum.“ Jam primis his verbis scriptor nos in senatum inducit et ut de fonte suspicemur, effecit. Quod Etruscos praecipue nominat, hac de re iam supra exposuimus. Neque mirum est tum imperatorem ut scriptorem historiae Tyrrhenicae (Suet. Claud. 42) eorum disciplinam in brevi conspectu ponere. Optime denique postrema huius capitis verba primis se accommodant: Factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices, quae retinenda firmandaque haruspicum. — Non dubitandum est, quae in medio capite sunt verba, quin Claudii ipsius fuerint, qui hanc orationem [2]) in senatu habuerit. Quam ob rem facile quispiam concedet, quae XV. capite narrata sunt, in actis senatus a Tacito reperta esse.

Proximis capitibus relatum est de bellis in Germania et Britannia gestis, in quibus saepius mentio fit nominis Corbulonis, cuius commentariis se usum esse Tacitus ipse profitetur (XV 16). Sed pro certo haberi potest illum solum Parthorum bellum descripsisse, praesertim cum Mommsen monstraverit nomen commentarii ibi aliter interpretandum esse (cf. pag. 11). Idem de rebus a Corbulone relatis iam Weidemann dixit (l. o. progr. III. cap. 14): Neque nimium affirmare nobis videmur, si dicimus Tacitum Corbulonis commentariis non usum esse nisi ubi optimus testis fuerit, i. e. in describendo bello cum Armeniis et Parthis gesto. Aliusne scriptor de Bellis Germaniae scripsit, cuius nomen Tacito gratum fuit? De Plinio maiore imprimis cogitamus, quem de bellis

[1]) Hoc de Claudio Tacitoque affirmat Schanz, hist. litt. Rom. II 2 pag. 8.

[2]) cf. Nipperdey-Andresen, adnot. ad XI 15 10.

Germaniae XX libros [1]) scripsisse Taciti familiaris Pliniique filius adoptatus tradit (epp. III 5 4). Plinius de bellis usque ad 47. annum [2]) gestis scripsit. Hoc quidem Muenzer contendit [3]) Ab anno autem 48. Plinii A fine Aufidii Bassi libri initium capiunt, ut idem annus 47./48. finis esset Aufidiani operis Pliniique librorum de bellis Germaniae. Facile igitur auctor naturalis historiae permoveri potuit, ut illum librum scriberet, quo et suum opus et Aufidii continuaret: Scripsit libros a fine Aufidii Bassi, incipiens ab 48. anno. Quae si ita se habent, perspicuum est, cur Dio, ubi Corbulonem nominat, et Tacitus consentiant. Facile cognitu est hos duos locos Tac. XI 20 et Dio LX 30. 4 ex eodem exemplari sumptos esse, si eos confers:

Nihil aliud prolocutus quam: „beatos quondam duces Romanos“, signum receptui dedit.... ut tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur. insigne tamen triumphi indulsit Caesar, quamvis bellum negavisset.

Ὁ Κορβούλων ἐπανῆλθε, τοσοῦτον μόνον ἀναβοήσας· ὦ μακάριοι οἱ πάλαι ποτὲ στρατηγήσαντες ...... διετάφρευσε δὶ αὐτῶν πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα και ἑκατὸν μάλιστα, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναρρέοντες πελαγίζωσιν ..... τῶν μέντοι ἐπινικίων καὶ ὣς ἔτυχεν

Quo consilio haec fossa perducta sit, paulum inter se differunt auctores, id quod inprimis Dioni tribuendum esse putamus. Sed quae primis et ultimis verbis narrantur, melius in sermonem Graecum non possunt transferri. Accedit, quod Plinius anno 47. cum Corbulone in Germaniam venisse videtur (Muenzer, l. s.) Nemini igitur tam facile erat ipsa Corbulonis verba memoriae prodere quam Plinio.

---

[1]) Tacitum hoc Plinii opere usum esse in primis annalium libris apparet, velut si comparaveris Tac. I 41 et Suet. Calig 8. (de loco, ubi Caligula natus sit).

[2]) cf. pag. 8, adnot.

[3]) Die Quelle des Tacitus für die Germanenkriege (Annales Bonnenses 1899 pag. 78.)

Tacitus postquam principem Corbuloni insignia triumphi indulsisse narravit, idem de Curtio Rufo refert, sed huius rei solus testis est, qua de re pag. 19. scripsimus, ubi conclusimus, ex actis senatus sumptam esse. Quod ibi de Curtio legerat, commovisse eum videtur, ut de origine [1]) plura quaereret, atque complures auctores adiit, quorum cuique eandem fidem non haberet. Nos in eis fuisse ferme Plinium suspicamur, quod Curtius in Germania tum fuerat atque de eo mirificum illud omen refertur, id quod ex usu Pliniano fuisse inter omnes constat. Neglegere nolumus Plinium minorem, qui sine dubio scripta patrui optime noverat, idem, quod Tacitus, atque isdem fere verbis tradere (epp. VII 27,2). Quo epistula Tacitus usus non est. Neque enim apud eum scriptum legimus Curtio „accedenti Carthaginem egredientique nave eandem figuram in litore occurrisse.“ (Plin. § 3.) Atque haec etiam Plinius minor apud alium auctorem invenit, quod verbis eius manifestum fit: praeterea narratur.

„Isdem consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur.“ Claudius ipse hanc legem tulisse Dolabellamque auctorem edidisse videtur. Apud Suetonium enim, ubi eadem res traditur (Claud. 24), Claudii solum nomen reperimus: Collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit. — Ac Claudium huius legis auctorem fuisse, non Dolabellam, ex alio loco Taciteo cognoscimus, ubi de sublatis duobus edictis Claudii est (XIII 5): Agrippina adversante tamquam acta Claudii subverterentur. Optimo igitur iure dicere nobis videmur ex sententia Claudii exposita esse, quae hic (an Dolobellae verbis?) de quaestorio munere dicta sunt. Leo quidem (Die staatsrechtl. Excurse) putat Tacitum librum de iure publico habuisse, in quo, quaecumque ex principum sententia in senatu

[1]) Alterius hominis originem se quaesivisse Tacitus VI 7 extr. dicit.

relata sunt, reperire potuerit. Nobis, si eum sequi non possumus, quaerendum est, unde Dolabella vel potius Claudius materiam historicam sumpserint. Ac T. Livio hortante Suetonius (Claud. 41) nos docet Claudium historiam scribere aggressum esse, apud quem eum imprimis quaesivisse suspicandum est, quae ad munus quaestorium pertinerent. Sed si Livium inspexerimus, cognoscemus Tacitum, quae de quaestoribus exponit, non recte tradidisse. Nam falsum est anno 447. (i. e. sexagesimo tertio anno post Tarquinios exactos) duos quaestores creatos esse, „ut rem militarem comitarentur". Ex tota enim re ipsa et ex verbis Livii (IV 53 § 4) sequitur, ut „praeter duos urbanos quaestores duo, ut consulibus ad ministeria belli praesto essent", creati sint. Ad verbum autem Livii verba cum Tacito congruerent, si hic scripsisset, vix ullo vocabulo adiecto vel mutato: Creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagesimo tertio anno post exactos Tarquinios. Dein gliscentibus negotiis iis, qui Romae curarent, duo additi, ut rem militarem comitarentur. — Tacitus discrimen bene sensisse videtur cur scriberet: qui curarent atque: ut comitarentur: Horum enim munus instituendum erat, illorum iam diu vigebat. Sed contrarium apud Tacitum reperimus hac parva, quam proponimus, mutatione non facta. Deinde ita pergit: Mox duplicatus numerus . . . . ., cuius rei in extrema periocha XV. librii Liviani mentionem reperimus: Quaestorum numerus ampliatus est, ut essent octo. — Credimus igitur Livium ad describendam hanc aetatem Claudii auctorem fuisse. Tum memoratu dignum videtur bis in orationibus Claudii rem ad Sullam dictatorem duci (XI 22, XII 23), Julium Caesarem dictatorem non nominari, quamquam numerum quaestorum ad quadraginta auxit (Dio XLIII. 47 2) itemque pomoerium (Dio XLIII 50 XLIV 49 Gellius XIII 14). Fr. Leonis sententiam sequi non possumus: Primum nihil impedit, quo-

[1]) in quo Caesaris institutiones non commemoratas esse ei concedendum erit, id quod veri perquam dissimile est.

minus haec verba de quaestoribus ex oratione Claudii in senatu habita sumpta sint, qua notitiam antiquitatis profert (cf. XI 14). Tum mirum videtur, quod Tacitus, quem ipsum continuam historiam muneris quaestorii dedisse Fr. Leo contendit (quam ex libro quodam [1]) iuris publici eum sumpsisse dicit), tribus diversis locis eandem refert rem (XI 22 XIII 5 XIII 29). Ex ea sola causa id intellegitur, quod scriptor, ut omnes eorum temporum, ordinem annalem secutus non omisit nisi exemplari suo inductus. Si hoc de munere quaestorio in senatu actum est, qua de re vix dubitari potest, antea id quod novum ferebatur, explicari debuit, quamobrem referendum erat, quomodo munus quaestorium ex antiquissimis temporibus excultum esset. Quo commovemur, ut Tacito hic acta senatus fundamentum fuisse dicamus.

Feliciter accidit, quod oratio Claudii, ex qua, quae his tribus capitibus insunt, Tacitus sumpsit, maximam partem ad verbum conservata est illa tabula Lugdunensi [2]), infeliciter, quod ea ipsa pars, quam Tacitus pluribus rettulit, periit. Nihilo setius manifestum fit, qua fide et diligentia Tacitus, quae in actis senatus repperit, reddiderit [3]). Vix enim putandum est similem tabulam atque Lugdunensem etiam Romae positam esse, quam Tacitus inspicere potuerit. Quamobrem admodum probabile est, Tacitum hic actis senatus usum esse. Sane hanc Claudii orationem, quae pro elegentia generis dicendi Tacitei parum perfecta ingenio, elaborata industria erat, suo dicendi generi accommodavit. Quo loco nolumus non commemorare ne hic quidem Claudium Etruscos silentio praeteriisse, quorum saepius eum mentionem facere vidimus (cf. XI 14 extr.) Etiam quae hanc principis orationem in senatu secuta sunt, scriptor initio proxumi capitis enarrat (XXIV.): Orationem principis secuto patrum consulto . . . . . . Ipsam argumentationem huius

[1]) v. pag. 32 adnot. 1.
[2]) C J L XIII 1668 = Dessau 212.
[3]) Schmidtmayer, Zeitschr. für österr. Gymnasien. vol. 41. pag. 869.

senatus consulti agnoscimus, cum a Tacito paucis verbis referatur: Datum id foederi antiquo et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. — Loco verbi usurpant nos potius exspectamus usurparent, at scriptor quem in exemplari invenit indicativum praesentis, non commutavit, quamquam 70 circiter anni interiecti erant.

Jam quae XXIII. capite narrantur res, ad hunc senatum pertinent: Postquam primores Galliae, quae Comata apellatur [1]), ius adipiscendorum in urbe honorum expetiverunt, studiis diversis apud principem certabatur. Claudius hac de re in senatu agi voluit patresque decernere videri (cf. XI. 7 extr). Quamobrem qui apud eum certabant, senatores fuisse necesse est. Priusquam autem scriptor verba principis affert, haec inserit: His atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit et vocato senatu ita exorsus est. — Claudiusne ante vocatum senatum patres quosdam ad se in domum regiam accersivit (i. e. apud principem certabatur), ut cum eis ageret? Velut scimus Augustum senem senatum domi [2]) habuisse: Suet. Aug. 29. 35; item Tiberium: annal. II 37; Neronem: annal. XIII 5. Si quae contra ius honorum Gallis tribuendum apud principem dicta sunt, conferuntur cum ipsius verbis, similitudo quaedam cognoscitur, quasi Claudius in senatu ad verba apud se facta respondeat. Profecto cum apud principem dictum esse videatur, quod Tacitus ex primis verbis principis, quo nemo prius locutus erat, concludere potuit: „ne novam rem erhorrescerent patres," — ex oratione ipsa cognosci licuit, quae antea gesta essent. Hoc modo, quod XXIII. capite narravit, Tacitus invenit. Simili ratione XII 25 Pallantem inducit Claudio suadentem, quid apud patres

[1]) Hoc adiectivum, quod hoc solo loco apud Tacitum scriptum legimus, in oratione Claudii (II. columna, lin. 31) repperisse eamque ob rem et quod ei inusitatum erat, per circuitionem addidisse videtur

[2]) Id fieri potuit, quod in parte domus Palatinae templum Apollinis erat (Suet. Aug. 29).

diceret, postquam Pallantis verba ex Claudii oratione, quam in actis senatus reppererat, sumpsit. Intellegimus igitur scriptorem ad XXII.—XXIV. capita scribenda actis senatus usum esse.

Vicesimo quinto capite postrema acta censoria Claudii enumerantur:

1) Vetustissimos senatus, aut quibus clari parentes fuerant, in numerum patriciorum ascivit.
2) Complures senatorum comiter hortatus est, ut secum quisque de se consuleret peteretque ius exuendi ordinis.
3) Condiditque lustrum.

Interim Vipstanus consul rettulit patrem senatus appellandum esse Claudium . . . . . , hanc sententiam etiam argumentis firmare conatus recusante imperatore. Inter res censorias principis si una quod in senatu accidit, narratur, praesertim si cum munere censorio coniunctum est, id sine dubio dignum est, quod observetur, quod sic nobis apparet, unde scriptor haec sumpserit. — Vipstanus consul palam Claudio propter mitem eius in senatum rationem gratis agit. Suspicamur igitur principem in senatu coram omnibus complures, ut senatu exirent, monuisse. Sed iam cum vetustissimos in patriciorum numerum adscisceret, hanc rem cum senatu longiore oratione communicavit. Videmus, quibus causis, id ut faceret, commotus sit: quod paucae iam familiae reliquae erant, quas Romulus maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant; — quod exhaustae erant eae, quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere.

Ut in oratione de iure honorum Gallorum habita ita hic Claudius ab antiquissimis temporibus (Romulo, incipit et rem usque ad Divum Augustum perducit) Similia saepius senatoribus exposita esse persuasum. nobis est: Nam omnis lex, ut perferretur, antea argumentis exponi et commendari suaderi firmari debebat: Referendum erat, quomodo res, de qua agebatur, orta

esset et exculta. Pro certo igitur habemus haec edicta censoria, quamquam Claudio opus non erat, cum senatu communicata expositaque esse atque tum in acta senatus inserta, unde Tacitus sumpsit, quae in XXV. capite narrat. Num quae de lustro refert, indidem petiverit nequaquam decernere audemus, cum facillime hic numerus in aliis relationibus inveniri potuerit. Sed nihil obstat, quin dicamus ex ipsis actis senatus sumptum esse, cum Tacitus eis paulo ante usus sit neque dubium esse possit, quin Claudius de lustro suo in acta senatus inserendum curaverit.

Appropinquamus paulatim ei momento temporis, quo scriptor primum opus Plinianum adiit. Consulto adhuc in enumerandis fontibus omnino Aufidii Bassi nomen omisimus; nam cum ex eius scriptis nihil fere supersit, supervacaneum et inutile nobis videbatur hoc de scriptore aliquid referre, cuius ne consilium quidem ratioque nobis nota sint.

Tacitus extremo XXVI. capite, postquam exitum muneris censorii Claudii rettulit, per ironiam haec posuit verba: Isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit: haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas. — Tredecim tum capita Tacitus consumit ad describendum Messalinae interitum. Undique collegit, quae ei usui esse poterant, diligenterque quaesivit, quanta cuique fides tribuenda esset, ut ipse dicit (27 extr): Nihil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam. — His de rebus Plinius cum A fine Aufidii Bassi scriberet nihil rettulisse videtur. Nam qua erat indole, occasionem non praetermisisset, quin lasciviam moechae regiae, quam in Naturali historia (X 172) commemorat, referret. Atque etiam maiore studio quam Tacitus (i. e. ex Plinio) Suetonius haec in librum suum inseruisset, qui aliis fontibus usus est ac Tacitus. Hic enim non tradit, quod Suetonius narrat (Claud. 29. extr.): nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipsum con-

signavisse (quod omnem fidem excessisse ipse Suetonius addit). Tacitus et Dio etsi melius inter se consentiunt, tamen differunt. Apud Dionem (LX 31; Zonaras XI 10) interitus Messalinae praecipue e studio libertorum exortus[1]) dicitur, quod Tacitus non plane praetermittit. Dionis sententiam apud Iuvenalem his versibus (XIV 329) reperimus: Narcissus,

Indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis uxorem occidere iussus.

Iuvenalis altero loco (X 329—345) de nuptiis Messalinae et Silii dicit eadem mente qua Dio, ubi Silius eam uxorem ducere coactus traditur, cum apud Tacitum ipse auctor fuisse videatur. Inter nuptias et vindemiam a Messalina celebratam (Tac. XI 31) maius intervallum fuisse videtur, qua de re Dio et Suetonius nihil tradunt. Neque Tacitus dicit Claudium πρὸς ἐπίσκεψιν σίτου Ostiam profectum esse, sed tantum: sacrificii causa. Dioni facilius fidem habemus, nam etiam ex Suetonio (Claud. 18) eum „urbis annonaeque curam solicitissime semper egisse" accepimus. Idem ex Taciti verbis concludere licet, qui Messalinae lascivia detecta principem „primum rei frumentariae praefectum Turranium" percontantem inducit (XI 31 init.).

Ex his paucis lineamentis intellegimus, quantopere Tacitus studuerit, quae in pluribus libris invenit, in unum comprimere et redigere. Fortasse Aufidio auctore principali usus est, qui interitu Messalinae opus absolvisse nobis videtur eamque ob rem ingenio suo paulum indulsisse. Sed inutile nobis videtur ceteros auctores quaerere, cum Tacitus, quae cuique propria erant, tanta arte obscuraverit.

---

[1]) Zonoras XI 10 Πολυβίου σφαγέντος οὐκέτ' αὐτῇ ἐπίστευον.

Caput tertium.
De auctoribus duodecimi annalium libri.

Jam pridem suspicati sumus Tacitum ab initio huius libri opere Pliniano usum esse, atque ibi iam diximus, quare id concludamus (cf. pag. 7). Ac quo melius lineamenta nobis proposita servemus, quod illic attulimus, iterum hic exponemus. Initio XII. libri scriptor aliquantum in nuptiis Claudii et Agrippinae narrandis versatur, atque tam lucide et distincte omnes has res vel minimas tradit, ut credas eum commentariis uti alicuius, qui in cultu aulae imperatoriae consenuerit. Jam vidimus, quanta pars in Messalina adulterii convincenda libertis obvenerit. Atque eadem mente Tacitus, cum de nuptiis Claudii refert, scribere pergit. Prioribus duobus capitibus XII. libri certamen libertorum de uxore deligenda narratur. Singulas res, quas Tacitus verbosius quam eius est usus, exponit, apud Suetonium in conspectu positas reperimus (Claud. 26): Nec durare valuit, quin de condicionibus continuo tractaret, etiam de Paetinae, quam olim exegerat, deque Lolliae Paulinae. — Idem apud Tacitum est: Primum Claudius „caelibis vitae intolerans et coniugum imperiis obnoxius“ traditur. Deinde singulae feminae et qui eis favebant liberti et quas afferebant argumentationes, enumerantur. Neque autem his rebus concludere licet Tacitum et Suetonium eundem habuisse auctorem: Sequuntur apud utrumque haec verba mira quadam ratione inter se congruentia: Tacit. XII 3 Praevaluere haec adiuta Agrippinae inlecebris: ad eum per speciem necessitudinis crebro ventitando pellicit patruum, ut praelata ceteris, etsi nondum uxor, potentia uxoria iam uteretur.

Suet. vita Claud. 26: Verum inlecebris Agrippinae, Germanici fratris sui filiae, per ius osculorum et blanditiarum occasiones pellectus in amorem....

Quibus cum verbis digna sunt quae comparentur Dionis verba LX 31,6: *Καὶ γὰρ καλὴ ἦν (ἡ 'Αγριππῖνα) καὶ συνεχῶς αὐτῷ* (i. e. *τῷ Κλαυδίῳ) προσεφοίτα, μόνη τε ὡς καὶ θείῳ συνεγίγνετο, καὶ τρυφερώτερον ἢ καὶ ἀδελφιδῇ προσεφέρετο.*

Quibus illecebris Agrippina patruum ad incestum pellexerit amorem, Dio alio loco narrat (LXI 11 3): *Τὸν θεῖον τὸν Κλαύδιον ἐς ἔρωτα αὐτῆς ταῖς τε γοητείαις καὶ ταῖς ἀκολασίαις καὶ τῶν βλεμμάτων καὶ τῶν φιλημάτων ὑπηγάγετο.*

Reperimus igitur apud hos tres auctores eandem rem eisdem fere traditam verbis. Consentiunt ad verbum Tacitus et Suetonius Claudium „illecebris Agrippinae ad amorem pellectum esse"; atque Dio id confirmat his verbis: *ἐς ἔρωτα αὐτῆς ταῖς τε γοητείαις . . . . ὑπηγάγετο,* quod secundum Tacitum perfecit: crebro ad eum ventitando —, quae verba sic a Dione in Graecum translata sunt: *συνεχῶς αὐτῷ προσεφοίτα· — μόνη τε ὡς καὶ θείῳ συνεγίγνετο,* pergit scribere Dio, atque brevius Tacitus: per speciem necessitudinis. Eodem pertinet quod apud Suetonium est ius osculorem (cf. Dionis illud *ἀκολασίαις τῶν φιλημάτων*).

Priusquam autem concludimus, quae ex his verbis comparatis colligi possunt, videamus, quid scriptores narrare pergant: Satis verbose Tacitus quaestionem habitam in Silanum, qui Claudii filiam ducturus videbatur, refert (cap. III. IV.). Idem, sed minus multis verbis tradit Dio (LX 31,7). Eadem sententia Tacitus et Dio hoc caput absolvunt: Principi non iudicium, non odium erat nisi indita et iussa. — Atque Dio: *Οὕτω ταῖς γυναιξὶν ὁ Κλαύδιος ἐδεδούλωτο.* — Postremo addimus tempus, quo Silanus mortem sibi consciverit, apud Tacitum et Suetonium iisdem verbis tradi. Tac. XII 8: Die nuptiarum Silanus mortem sibi conscivit. — Suet. Claud. 29: Mori coactus est die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum. — Dies fatales saepius apud Suetonium tali ratione allatos reperimus: Nero 40 Die ipso, quo matrem interfecerat. — Nero 57 Die, quo quondam Octaviam interemerat. — Sed Tacitus quoque similia tradit; ita autem, ut ironia eius facile perspiciatur: XV. 41 extr, ubi sine

dubio eum Plinium ludificantem videmus; hist. XI 50. Compluribus locis Gercke in libello, qui inscribitur Seneca-Studien, argumentis demonstravit tales dies congruentes memorare et numerare ex usu Plinii fuisse. Ceterum si in rationem vocabimus, quod iam initio disputationis nostrae diximus: quantum hic, ubi Nuptiae Claudii et Agrippinae narrantur, odium auctoris, cuius libro Tacitus usus est, in hanc eluceat, non iam de eo dubitabimus. Quamquam primo, cur Agrippina electa sit, ex ratione et argumentatione Pallantis (cap. II extr.) traditur [1]), tamen proximis verbis vera auctoris in Agrippinam mens cognoscitur. Ratiocinantem agnoscimus mulierem, quae se etiam prostituit, ut assequeretur, quae assequi voluit. Eodem hoc caput scriptum est animo, quo ille locus Dionis LXI 11,3, de Agrippina suum ipsius filium in stuprum illicere conata ad dominationem obtinendam. Quo loco quamquam inprimis de Plinio auctore cogitandum est, cuius insatiabile in Agrippinam et Neronem odium satis notum est, tamen dubitari potest, an Cluvius Rufus auctor fuerit, cuius nomen ipse Tacitus indicat (XIV 2). Ibi contra Cluvii sententiam Fabium Rusticum ponit tumque addit: Quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere —, quo in numero quin Plinius putandus sit, nemo dubitabit, praesertim cum XIII 20 conferat, ubi Cluvius et Plinius idem referentes inducuntur. Quae igitur apud Tacitum XIV 2 e sententia Cluvii afferuntur verba, a Plinio eodem modo tradita sunt; atque quae apud Dionem reperimus, quam a Cluvio ullo modo pendere nihil est, cur suspicemur, e Plinii A fine Aufidii Bassi libris sumpta sunt. Itaque si in describenda morte

---

[1]) Cum his verbis confer I 41, ubi de Agrippina maiore dicitur: ipsa insigni fecunditata, praeclara pudicitia, iam infans in castris genitus, quem militari vocabulo Caligulam apellabant. — Haec verba cum illis (XII 2) plane congruunt et Caligulam in castris genitum esse falso tradiderat Plinius (Suet. Calig. 8. ubi Plinii narratio refellitur). Plinius, cuius de bellis Germaniae libris Tacitus in primis annalium libris usus est, de duabus Agrippinis eisdem verbis iudicavit.

Messalinae nullum invenitur vestigium, quo Plinium auctorem fuisse monstretur, immo si initio XII. libri, i. e. post narratam Messalinae caedem haec indicia accumulantur, fieri non potest quin concludamus ab initio XII. libri Plinium Taciti auctorem fuisse, quod si probatur, ipsum initium libri Pliniani, qui inscribebatur: A fine Aufidii Bassi, repertum est. Nos quidem affirmamus Plinium hinc, a morte Messalinae et dominatione Agrippinae, initium cepisse.

Sed operae pretium videtur comparare, quae tres illi scriptores tradere pergant. Claudii et Agrippinae nuptiae, patrui et fratris filiae, incestae cum haberentur more Romano, senatus erat eas legitimas reddere, quod perpetrandum Vitellius sumpsit, qui iam pridem in accusando Silano Agrippinae faverat. Singulae partes huius senatus apud Tacitum facile discernuntur:

1) Vitellius veniam dicendi ante alios exposcit dicitque imperatori viduo coniuge curarum suarum participe opus esse.
2) Multa patrum adsentatio sequitur.
3) Vitellius capto rursus initio Agrippinam nominat.
4) Claudius vocatus vel impatientia adductus senatum ingressus decretum postulat, quo iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae etiam in posterum statuerentur. —

Idem atque isdem fere verbis apud Dionem scriptum erat: Zonaras XI 10 D ..... *λόγους ἐν τῇ βουλῇ ὁ Οὐιτέλλιος ἐποιήσατο, ὅτι συμφέροι τῷ κοινῷ γῆμαι τὸν Κλαύδιον καὶ τὴν Ἀγριππῖναν ἐπιτηδείαν εἰς τοῦτο ἀπέφαινε, καὶ βιάσασθαι σφίσιν αὐτὸν ἐπὶ τὸν γάμον συνεβούλευεν· ἐντεῦθεν ὁρμηθέντες οἱ βουλευταὶ πρὸς τὸν Κλαύδιον ἦλθον καὶ ἠνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν γῆμαι, καὶ ψήφισμα ἐποιήσαντο ἐξεῖναι Ῥωμαίοις ἀδελφιδᾶς ἄγεσθαι· πρότερον γὰρ ἐκεκώλυτο.* Brevius quam Tacitus et Dio hac de re Suetonius dicit (Claud. 26): Subornavit (Claudius) proximo senatu, qui censerent cogendum se ad ducendam eam (Agrippinam) uxorem, quasi rei publicae maxime interesset, dandamque ceteris veniam

talium coniugiorum, quae ad id tempus incesta habebantur. — Pro brevitate narrationis Dio et Suetonius ad verbum congruunt. Neque suspicandum est Suetonium Dionis auctorem fuisse, cum Dio plus quam Suetonius referat, quod cum Taciti verbis optume concordat. Neque igitur errare nobis videmur arbitrati Tacitum ceterosque, de. quibus scripsimus, auctores hic eundem auctorem habuisse quem initio XII. libri, i. e. Plinii libros A fine Aufidii Bassi. Tamen persuadere nobis non possumus scriptorem occasionem praetermisisse acta senatus adeundi, in quibus plura reperire potuit quam apud Plinium, qui non erat ea dignitate, cui ab imperatoribus permitteretur, ut actis senatus uteretur, cum acta publica eum inspexisse inter omnes constet. Tacitus autem, quae in illo senatu gesta sunt, distinctius describit, quam ut in historiis invenire potuerit. Nam unde acceperat Vitellium subito in senatu apparuisse ibique ante alios veniam dicendi poposcisse, obtestantem: summam rempublicam agi? Nemo enim putabit Vitelli verba a Tacito antiquorum scriptorum more arte inventa esse: Similiora Dionis et Suetonii verbis sunt, quam ut id putet quispiam. Immo, verba ipsa Vitelli satis nobis manifesto originem prodere videntur: Princeps Tacito auctor erat Plinius; usus est autem, quo hunc corrigerat vel amplificaret, actis senatus; eamque ob rem Tacitum potius sequemur narrantem: Claudium in senatu decretum patrum accepisse; quam ceteros, qui patres in palatium euntes faciunt. Neque nescius Tacitus ab horum narratione discrepare videtur, optimo fonte nisus. — Deinde Tacitus et Suetonius idem narrare pergunt: Tac. 7. Nec tamen repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor, Alledius Severus eques Romanus, quem plerique Agrippinae gratia impulsum ferebant. — Idem tradit Suetonius (Claudius 26), etiam verbo reperiundi usus: Non repertis, qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam et altero primipilari, cuius nuptiarum officium et ipse cum Agrippina celebravit. — Tacitus cur hunc libertinum non memoraverit,

ex indole et moribus eins facile intellegas, qui libertinum dignum non putaverit, cuius nuptiae in opere suo memoriae et aeternitati proderentur. Quem primipilarem Suetonius nominat, sine dubio Taciti eques est. Scimus enim primipilaribus veteranis hunc honorem datum eosque equestri ordini additos esse.[1] — Novum hoc nobis accedit testimonium, quo intellegimus ambos scriptores initio XII. libri eodem imprimis usus esse auctore. Quod proximis quoque verbis demonstrari videtur (hunc auctorem Plinium fuisse), quae idem in Agrippinam odium produnt, quod ex animo Plinii fuisse cognovimus, quamquam admiratio quaedam non deest.

Octavum caput ultimum huius modi est, quo per Agrippinam maxime res geritur. Proxima capita aliunde petita esse manifestum est. Ipsum nonum caput brevius est, quam ex quo id concludatur. Neque vero complura vocabula, quae sermonis senatorii sunt, nullius sunt pretii hanc rem ad definiendam: Placitum, sententiam expromere, censet. Ex ea autem re, quod ipse Tacitus dicit: Pollionem haud disparibus verbis ac nuper Vitellium censuisse. — satis apparet eum Pollionis orationem cum Vitellio comparasse, quam in actis senatus eum repperisse supra suspicati sumus (pag. 42). Pollionis igitur verba ex eodem sumpsit exemplari ibique comparavit.

Capitibus X. et XI. traditur, quid legati Parthorum in senatu dixerint quidque Claudius responderit. Jam antiquissimis temporibus legati externarum gentium ad mandata sua referenda in senatum inducebantur, qui mos etiam temporibus imperatorum servatus est. Orationem Parthorum si Tacitus solam tradidisset, credere liceret eam ut erat mos scriptorum antiquitatis ab eo esse cum arte inventam. Sed quae sequuntur verba Claudii docent eam revera esse habitam. Initio orationis suae Caesar qua erat magniloquentia et vanitate Divo

---

[1]) CIL V 867, 1838. 6513. Primipilares superioris ordinis saepius a Tacitus memorantur: Annal. II 11 IV 72 hist. III 70 IV 15.

Augusto se adaequat. Omittit Tiberii memoriam, quippe qui fratris filio nunquam favisset. Principem in orationibus suis consulto aliquid reticuisse, Tacitus etiam alio loco (XII 22) tradit: Nam de C. Caesaris nuptiis consulto reticebat. — Scriptor si id affirmat, ipse demonstrat se orationem illam vidisse, in qua id „consulto" omissum observaverit. Alterum argumentum ea re cognoscitur, quod scriptor, quomodo haec legatio accepta et quid cum ea actum sit, aliter narrat, ac si de aliis legationibus dicit. Ipso in XII. libro saepius occasio nobis erit id demonstrandi et comparandi, cum refertur Claudium publice aditum sui praebuisse. Quae ibi narrantur, ita narrantur, ut arbitreris ex actis publicis sumpta esse. Atque revera ipse Tacitus alio loco[1]), ubi simile quid memoratur, de Plinio cogitat, „cui lubeat laudandis fundamentis et trabibus volumina implere, cum ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare". Ex Plinio igitur, quae de legatione Parthorum tradit, non sumpsit. Atque ex eis, quas supra de Claudii oratione exposuimus rebus sequitur, ut acta senatus supersint, e quibus petiverit.

Proximis capitibus res referuntur, quae in Suria gestae sunt, postquam C. Cassio datum est, qui Suriae praeerat, deducere novum principem Parthorum ripam ad Euphratis (cap. XI. extr.)· Cui rei similem iam Weidemann tractavit (progr. 1869 pag. 20), ubi seditionem Tacfarinae commemorat his fere verbis: Ceterum haec praecipue est observanda res, quod narratio hic quoque descriptioni senatum adiungitur, in quibus aliquid consilii de bello cum illis hominibus rebellantibus gerendo inibatur. Weidemannum si sequimur, quae capitibus XII.—XVIII. narrantur, e relationibus petita sunt, quas praefectus Suriae ad senatum misit, quae in acta senatus relatae sunt. Ipsa ex Taciti narratione hoc concludi non potest. Sed iterum infra videbimus cum ita rem

[1]) hoc de loco (XIII 31) pag. 6 multis diximus.

tractare solere, ut senatu descripto, in quo de gerendo bello agebatur, bellum ipsum, quomodo gestum sit, describatur.

Quae capitibus XIX. et XX. referuntur, rem magis perspicuam reddunt, quamquam ex ipsis Taciti verbis vix comperimus, ubi haec acta sint. Primum litteras Eunonis ad Claudium missas cognoscimus, quas is ut erat imperatorum consuetudo in senatu recitandas curavit. Duae factiones de responso agitant, quod ex verbis „disserebatur contra“ concludimus [1]. Imperatorem ipsum alloquuntur [2]: Quin arripe oblata et serva exulem (quae verba obliqua oratione scriptor inseruit). His permotus (horum sententia permotus?) Claudius decernit responsumque (cum patribus ?) communicat. Haec in actis senatus eum reperire potuisse atque repperisse, ut suspicemur, cum aliis tum ea re adducimur, quod ex alio libro sumpta est quae sequitur narratio, cui ipse addit: ferebatur, ut significet se hic auctore non perinde certo usum esse, de quo infra dicemus.

Extremo capite XXI. cognoscimus, qua causa scriptor plura de Mithridatis sorte reperire studuerit aliumque testem adierit. Ibi enim est: Consularia insignia Ciloni, Aquilae praetoria decernuntur. — Quod Cilonem eo honore affectum esse Tacitus narrat, id etiam Suetonius tradit (Claud. 24): Ornamenta consularia etiam procuratoribus ducenariis indulsit [3]. — Cilo captum regem cum Romam comitatus esset, mirandum non est, quod Tacito honos ei tributus dignus erat, cuius mentio fieret. Sed vix intellegi potest, cur hic etiam Aquilae nomen afferat, quem hoc bello non adeo bene rem gessisse paulo ante narrat (XII 15). Atque cum de Aquilae praemio a solo Tacito [4]) referatur, concludimus eum, quae de Cilone et

[1]) cf. XI 24, ubi idem verbum disserendi invenitur.

[2]) An princeps ipse se alloquitur, ut in oratione Lugdunensi (Andresen pag. 317: II col. linea 20)?

[3]) cf. Nipperdey, adnot. ad XII 21.

[4]) cf. pag. 19.

Aquila tradit, in eo libro repperisse, in quo similia praemia et favores imperatoris primo publicarentur, i. e. in actis senatus, ut initium et finis huius narrationis de Mithridate ad eundem testem redeant, cum de adventu Mithridatis quae Tacitus narrat, in alio libro ei quaerenda essent. Jam supra cum de legatione Parthorum diximus, consuetudinem Plinii commemoravimus res narrandi, quibus favorem vulgi sectaretur. Satis certum videtur adventum Mithridatis verbose in illis A fine Aufidii Bassi libris eum descripsisse, cum etiam in Naturali historia (VI 17) eum commemoret. Taciti verba cum Dione comparare licet: Mithridates „captivus Romam ductus visui populo praebebatur iuxta rostra custodibus circumdatus". Quibus verbis Caesarem allocutus sit, et Tacitus et Dio eisdem vocabulis tradunt:

Tac. XII 21 Non sum remissus ad te, sed reversus: vel si
Dio [1]) „Ἐγὼ οὐκ ἠνέχθην πρὸς σέ, ἀλλὰ ἀφῖγμαι · εἰ δὲ
non credis, dimitte et quaere!"
ἀπιστεῖς, ἀφές με καὶ ζήτει. — Nemo dubitabit, quin haec verba ex uno eodemque exemplari sumpta sint. Nos de Plinio cogitamus, id quod alio loco, ubi Tacitus de Carataci captivitate dicit (cap. 37), clarius perspiciemus, qua de re infra pluribus exponemus.

Vicesimo altero capite Tacitus sic incipit dicere: Isdem consulibus. — sequitur oratio Claudii in senatu habita. Hoc vel simile initium in Taciti libris non rarum est, ac maximam partem senatus descriptio sequitur. [2]) Neque falsum erit suspicari magistratum, qui acta senatus componebat, primo loco nomina consulum [3]) atque diem [4]) senatus scripsisse. Uno loco totius corporis litterarum Romanarum, quantum nobis quidem notum

[1]) Dio apud Xiphilinum, vol. V. edid. Dindorf pag. 191.

[2]) cf. XI. 22.

[3]) quod fieri aetate imperatorum necesse erat, quia singulis annis complures consules munus inibant. Velut Dio tradit (72, 12) anno 189. viginti quinque consules fuisse. Quamquam anni nominibus primorum duorum consulum numerabantur.

[4]) cf. Plinii epp. VIII 6 § 13.

est, initium actorum tamquam urbis traditur: Petron. 53. Sed hic nomina consulum desunt; consulto quin omissa sint, non dubium est, cum Petronius diligentissime caveat, ne tempus actionis indicet. Tamen pro certo haberi potest Romanos (forensibus rationibus motos) singulis et senatus et urbis actis nomina consulum praeposuisse, quod vel eam ob causam eis faciendum erat, ne senatus consultum aut quid aliud in dubium vocari posset, si tempus aliquod distincte definiendum erat. Tacitus igitur, cum consulum nomina legebat, quae maximam partem iam antea nominaverat, ne iteraret nomina, hac formula utebatur, quae saepius in scriptis eius reperitur (VI 13 VI 23 XI 22 XIII 48). Hoc in XXII. capite orationem imperatoris scriptam videmus, quam in Lolliam Paetinam, aemulam Agrippinae (cf. XII 1) habet. Tota ratio dicendi eam revera Claudii esse prodit. De C. Caesaris nuptiis eum consulto reticuisse iam supra diximus (cap. XI.) eaque re manifestum fieri Tacitum orationem illam legisse, quam potissimum in actis senatus reperire potuit. Plus autem valent, quae extremo hoc capite et proximo narrantur res:

1) Calpurnia illustris femina pervertitur, quia . . . . .
2) Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus.
3) Galliae Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut senatoribus eius provinciae res suas invisere liceret.
4) Ituraei et Iudaei defunctis regibus provinciae Suriae additi.
5) Salutis augurium repeti ac deinde continuari placitum.
6) Et pomerium urbis auxit Caesar.

Haec sex res inter se quam diversissimae ad senatum pertinent; num unius fuerint senatus, in dubio relinquo. Tacitus solus tradit Cadium Rufum damnatum esse (Haec Claudio Caesare una repetundarum damnatio cf. pag. 19). Senatoribus Narbonensibus ius illud dari placitum, „quo Sicilia haberetur: ob egregiam in patres reverentiam". Sed extremis verbis XXIV. capitis id

quod conclusimus: Tacitum haec omnia in actis senatus repperisse in dubium vocari videtur. Ubi scriptor de pomerio urbis scribit his verbis: Et quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu et publicis actis perscriptum. — Cum igitur supra statuerimus senatus acta adiisse Tacitum, ipse docet acta se adiisse diurna, quod ea re confirmatur, quod in diurnis actis novas leges et edicta brevissime scripta esse vidimus (pag. 26. 27.). Neque vero Claudii orationem in Lolliam habitam historiamque pomerii in eis scriptor reperire potuit. Maxime igitur verisimile est Tacitum actis senatus usum eum, qui terminos pomerii scire vellet neque acta senatus, quippe quae ab usu publico secernerentur, adire posset, ad publica acta delegare, quae in bibliothecis inspicere cuilibet licebat.

Acta publica, quae hic nominantur, vel diurna urbis acta fere actis senatus opponi iam in prima parte disputationis nostrae satis demonstrasse nobis videmur. Tamen qui Tacitum actis usum esse plane negant, hanc rem in dubium vocare studuerunt. Aliam ingressus est viam Friedericus Leo in opusculo quod inscribitur: Die staatsrechtlichen Excurse in Tacitus' Annalen [1]. Quamquam magno acumine ingenii rem adiit, tamen hic (cetera disquirere nostra non interest) eum sequi non possumus. Primum ipse Tacitus acta publica nominat (quamvis ipse actis senatus usus); nec quicquam quod adversarii huius sententiae contra protulerunt, valere nobis videtur. Deinde eam ob rem credere non possumus Tacitum hic librum iuris publici inspexisse, quod solus Tacitus (vel potius Claudius) nomen Augusti nominat, quod omittunt ipse Augustus [2] Vespasianus [3] Gellius [4], ut concludendum

---

[1]) Acta societ. Goetting. 1896. pag. 191.

[2]) cf. Mommentum Ancyranum C I L III 769.

[3]) cf. legem de imperio Vespasiani 14 (C I L VI 930).

[4]) Gell. VIII 14, ubi nomina Sullae, D. Julii, D. Claudii dicuntur. Omnino de iure augendi pomerii cf. Mommsen, Röm. Staatsrecht III 2, pag. 992. 993.

sit Augusto iure publico non licuisse pomerium augere, qua ex re sequitur, ut cum Claudius eius nomen dicat, quasi auxisset, id ex eo libro, quem suspicatur Fr. Leo sumi nullo modo potuerit. Itaque nihil habemus, cur quod supra exposuimus Tacitum ad scribenda XII.—XXIV. capita acta senatus adiisse, mittamus.

Vicesimo quinto capite narrantur res, quae initio anni post Chr. nat. quinquagesimi gestae sunt, inprimis adoptio Neronis. Tacitus imperatorem orationem habentem facit: eundem in quem a liberto (Pallante) acceperat modum. Scriptorem hanc orationem legisse satis verisimile est, cum singulas eius partes antea in modum partitionis exponat. Augustus, cuius in ea mentio fit, Divus appellatur sollemni usu senatus. Sed plus nobis valet, quod Tacitus addit: adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri .... Simili formula saepius utitur: hist. III 37 Agricola 22 Annal. XIII 3 (adnotabant seniores). Verba, quae hist. III 37 et ann. XIII 3 adnotabantur, sine dubio ex Pliniano opere sumpta sunt, idemque de hoc loco suspicamur. Sed quae periti adnotabant, revera verba Claudii ipsius erant, si Suetonium sequimur (Claud. 39 extr.), sed in hoc senatu non fecit. Nam id Pallas passus non esset eamque ob rem Tacitus nihil huiusmodi in actis repperit. Verisimile nobis videtur Plinium haec verba in aliam fortasse formam redacta operi suo inseruisse et ex sua sententia (id quod significat Tacitus verbis: adnotabant periti) rettulisse. Nos quidem iterum cognoscimus Tacitum uno teste non contentum aliorum iudicio et sententiae studuisse. Ipse sensisse videtur se filum narrationis interrupisse, cum his verbis scribere pergat: Ceterum actae principi grates, quaesitiore in Domitium adulatione; rogataque lex, qua in familiam Claudiam et nomen Neronis transiret. Augetur et Agrippina cognomento Augustae. — Idem, sed multo brevius Dio tradit (Zonaras XI 10 B): *μετὰ ταῦτα δὲ καὶ Αὐγούσταν τῆν Ἀγριππῖναν ἐπεκάλεσε, καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς εἰςποιησάμενος μετωνόμασε Τιβέριον· Κλαύδιον*

Νέρωνα. Post haec verba apud Dionem prodigium narratur, quod nos, ut de Plinio auctore cogitemus, commovet. Eundem auctorem etiam proxima verba produnt. Primum de odio Agrippinae et Britannici dicitur (infesto in novercam animo); tum: Agrippina, inquit, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum e vocabulo ipsius. Ac forte acciderat, ut eam gentem Rhenum transgressam avus Agrippa in fidem acceperat. — His cum verbis comparamus, quae Tacitus I 44 de partu Agrippinae refert. Ibi Germanicus Agrippinam propter imminentem partum et hiemem [1]) urbem Ubiorum et castra ibi posita relinquere in Treveros iubere traditur. Jam alio loco (pag. 30. 50) vidimus Tacitum de Caligulae partu falsa rettulisse. Tum Plinium eius auctorem fuisse conclusimus argumentisque statuimus, quod hic quoque pro certo habemus. Tota oratio odii in Agrippinam plena est, quod est Plinianum. Quod extremo capite de congruentia nominum et rerum dicitur, idem est Plinianum, quod nemo dubitabit, qui hunc scriptorem talem dierum et temporum et nominum consensum libenter narrasse scit (cf. pag. 39).

Proximis capitibus tumultus in Germania et Britannia orti describuntur. Neque est dubium, quin hac de aetate Tacito complures auctores ex optumis fuerint. Paucis annis ante Plinius ipse in Germania fuerat [2]), qui etiamsi suos de bellis Germaniae libros ad finem perduxerat (ad annum 47), certe occasionem non praetermisit, quin alteri suo operi historico, quaecumque in Germania et Britannia gesta esse exploravisset, insereret. Auctor haudquaquam deterior Taciti socer erat, qui per XIII annos in Britannia vixerat ibique postremo summis honoribus functus erat. Atque hoc loco Taciti narratio

---

[1]) Agrippina minor circa initium anni XV. nata est.

[2]) An hoc ipso tempore in Germania erat? (Muenzer, pag. 78,80.)

saepius ad verbum cum iis quae sunt in vita „Agricolae“ congruit.

Nova certaque reperimus vestigia, cum quae de bello cum Carataco, Britannorum rege, gesto refert, perscrutamur. Quo capto Romamque ducto Caesar populum ad insigne vocat spectaculum: Stetere in armis praetoriae cohortes campo, qui castra praeiacet. Tunc fratres et coniunx et filia, postremo Caratacus ipse ostentatus, qui ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est . . . . . . Eadem de re apud Dionem (Xiphil. ed. Dindorf. V. pag. 191) scriptum videmus: *Ὅτε τῶν Βρεττανῶν ὁ ἄρχων Καρτάκης κατασχεθεὶς εἰς Ῥώμην ἀνεπέμφθη· ὅντινα ἐπὶ βήματος ὁ Κλαύδιος χλαμύδα φορῶν εἰσήγαγεν. ὃς καὶ συγγνώμης ἔτυχε σὺν γαμετῇ καὶ τοῖς παισὶν ἐν Ἰταλίᾳ διάγων.*

Non est dubitandum, quin Dio in eis qui perierunt libris hac de re plura tradiderit. Sed quae supersunt pauca sufficere videntur, ut concludamus eundem auctorem Tacito fuisse atque Dioni. Verbis Carataci relatis apud Tacitum scriptum legimus: Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. — Quibus rebus, quae de naumachia in Lacu Fucino facta Tacitus et Dio et Suetonius tradunt, addimus: Tac. XII 56. Ipse Claudius insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata praesedere. Dio LX 33 $_{3}$ *ἥ τε Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμήθη.*

De eodem spectaculo refert Plinius [1]) (nat. hist. XXXIII 3 $_{66}$) Nos vidimus Agrippinam Claudii principis sedente eo navalis proelii spectaculum adsidentem et indutam paludamento auro textili . . .
De simili spectaculo Suetonius scribit (Claud. 21): Claudius praesedit paludatus.

Omnia tam similibus vel eisdem verbis narrantur, ut credas ex uno eodemque libro sumpta esse. Cogitaveris de actis diurnis, in quibus talia spectacula quin

[1]) Plinius altero loco de lacu Fucino dicit: nat. historia XXXVI 124.

multis verbis magnificisque descripta sint, non potest dubitari. Certae fuisse videntur formulae, quibus cum universum spectaculum tum adspectus aulae imperatoriae describebantur, ut nostris quoque fit diebus [1]).

Sed ex eis, quos supra composuimus locis apparet Plinium auctorem fuisse, cuius rationem scribendi, quod tam similis esset actis publicis, ipse Tacitus alio loco vituperat (XIII 31). Acta publica inspiciebat, si ceteri auctores eum deserebant (velut III 3); hic autem Plinius ei satisfecit.

Paulo post autem ad principalem suum auctorem revertitur. Post illud spectaculum Claudius patres convocavit. De orationibus tum habitis scriptor bene instructus videtur esse. Patres, inquit, multa magnifica super captivitate Carataci disseruere, neque minus id clarum quam quod Syphacem P. Scipio, Persen L. Paulus, et si qui alii vinctos regulos populo Romano ostendere. Censentur Ostorio triumphi insignia. — Vocabulo „magnifici“ satis de natura illarum sollemnium orationum discimus, in quibus quamvis multis verbis tamen nihil fere dicebatur, ut Tacito opus non esse videretur ea commemorare, quae in orationibus ipsis dicta erant. Grave postremo argumentum inest ultimis verbis: Censentur Ostorio triumphi insignia. — Quod Tacitus solus tradidit (qua de re pag. 18. 19. scripsimus), ut concludendum sit, eum meliorem auctorem habuisse ceteris. Quod scribere pergit de bello ab Ostorio gesto, nullo verbo interiecto, hac de re iam supra saepius diximus: actis relationes praefectorum provinciarum additas esse. Ipse Tacitus XL. caput his finit verbis: Haec quamquam a duobus propraetoribus plures per annos gesta, coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam valerent. — Quibus verbis manifestum fit Tacitum non habuisse librum, in quo res illo bello gestas omnes deinceps narrarentur, sed com-

[1]) Hic commmeoro usum vocabuli „libenter“, de quo confer Tac. XII. 41 in.; Suet. Claud. 28. extr.

plures relationes eum secutum esse, quae a praefecto Suriae senatui mittebantur et in acta senatus receptae sunt.

Quadragesimo primo capite Tacitus narrat, quanta cum Nerone simultas Britannico fuerit. Idem cum Suetonius tradat, operae pretium videtur comparare, verbis eius Tacito accommodatis.

Tac. XII 41.	Suet. vita Neronis 7.
Princeps iuventutis appellatus est, additum nomine eius donativum militi, congiarium plebei. Obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere.	Deductus in forum tiro populo congiarium, militi donativum proposuit. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Ahenobarbum consuetudine salutasset . . . . . .

His ex verbis apparet ambos eodem usos esse auctore sed quo, ex Taciti demum narratione cognoscimus, ubi hoc et proximo capite Agrippinae summa pars obvenit atque mater Neronis tanto odio invidiaque obruitur, ut neminem nisi Plinium id scripsisse credibile sit. Quod confirmatur primis verbis 43. capitis ubi est: Multa eo anno prodigia evenere. — Haec prima apud Tacitum prodigiorum enumeratio, quae ex eo anno saepius invenitur. Qua ex re Nipperdey in editionis praefatione (I^{10} pag. 30) concludere sibi licere putat hunc locum ex Pliniano libro sumptum esse, qua in re libenter eum sequimur.

Capitibus 44.—51. narrantur res apud Parthos gestae, quas unde scriptor sumpserit, ut statuamus, non nobis contigit. Sed eo plura nobis de 52. capite dicenda sunt: Fausto Sulla Salvio Othone consulibus (anno 52.)

1) Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi . . . .
2) De mathematicis Italia pellendis factum senatus consultum [1].
3) Laudati dehinc oratione principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo impudentiam paupertati adicerent.
4) Inter quae refert ad patres de poena feminarum, quae servis coniungerentur.

---

[1]) Dio-Zonaras XI 10 D: *Οἱ ἀστρολόγοι δὲ ἐξ ἁπάσης τῆς Ἰταλίας ἠλάθησαν καὶ οἱ αὐτοῖς συγγενόμενοι ἐκολάσθησαν.*

5) Statuiturque, ut ignaro domino ad id prolapsae . . .
6) Pallanti, quem repertorem eius relationis ediderat Caesar, praetoria insignia et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus.
8) Additum a Scipione Cornelio grates publice agendas Pallanti . . .
9) Adseveravit Claudius contentum honore Pallantem . . .
10) Et fixum est aere publico senatus consultum, quo . . .

Unius senatus videntur quae hic narrantur singulae res fuisse, nam quae priore parte (1—3) commemorantur, celeriter expediri potuerunt, ut satis patribus temporis superesset ad alteram partem (4—10) tractandam. Ac quod diem quoque huius senatus ex Plinii minoris epistula VIII 6 13 accepimus: X. Kal. Februar, haec coniectura commendatur. De ea re, quam tertio loco supra scripsimus, iam prius aliquid comperimus: Tac. XI 25 Claudius censor mitem rationem adhibens quosdam depulit senatu his verbis: Secum quisque de se consultaret peteretque ius exuendi ordinis. In eis quae illud caput sequuntur, capitibus nusquam scriptum legimus principem plures senatu depulisse. Hoc demum loco quattuor annis intermissis denuo huius rei mentio fit. Claudiusne quinto demum anno post huius consilii recordatus est? Atque si ita res se habet, denuo intellegimus, quanta fide et diligentia Tacitus acta senatus eorumque ordinem annalem secutus sit. Sed plus nos altera pars huius senatus docet. Tabula illa ahenea, quae extremo LIII. capite commemoratur, casu quodam a Plinio minore conspiciebatur, qui postquam legit, quae inscripta erant, [1]) tanta curiositate et indignatione captus est, ut illud senatus consultum ipsum legere cuperet, quod ut reperiret, ei facile contigit (Plin. epp. VIII 6. 2.). Si Plinio facile erat senatus acta adire, idem eodem iure erat Tacito. Atque

[1]) Plin. epp. V 29: Huic (i. e. Pallanti) senatus ob fidem pietatemque erga patronos ornamenta praetoria decrevit et sestertium centies quinquagies, cuius honore contentus fuit.

revera, quae tradit, cum inscriptione a Plinio relata ad verbum congruunt. Utrum senatus actis ipsis usus est an illam tabulam novit? Nobis non iam dubium est, quin acta inspexerit. Nam ex sola tabula nusquam invenire potuit, quis illos honores Pallanti censuerit (Barea Soranus CD) neque quis grates addiderit neque Claudium adseverasse contentum hoc honore Pallantem esse. Quam diligenter et distincte Tacitus id, quod ei operae pretium videbatur, quod referretur, ex illa multitudine verborum elegerit, ex Plinii epistula apparet. Fabia in libro, quem supra nominavimus (pag. 12), aliter concludit: Quod Tacitus omisit scribere: Senatum censuisse Pallantem non exhortandum modo: verum etiam compellendum ad usum aureorum anulorum, — ex ea re manifestum fieri eum acta non habuisse. Sed ipse Plinius postquam haec tradidit, scribere pergit: Levia haec et transeunda! — Scriptor, quippe qui maximae brevitati dicendi studeret, huic consilio amici, sive sciens sive nesciens, obsecutus nisi quae maxime ad rem pertinerent, omisit. Sine dubio acta senatus hic adhibuit.

Postquam honores Pallanti tributos enumeravit, nullo verbo interiecto scribere pergit de Felice, Pallantis fratre, deque bello Iudaeorum, qua de re iam saepius diximus (pag. 44. 52.), ut hic quoque non audacius sit suspicari Tacitum relationibus Felicis actis senatus additis usum esse. Sed ut hoc certis argumentis firmemus, vix unquam continget, praesertim cum neque Suetonius neque Dio harum rerum quicquam tradiderint.

Meliora erunt fundamenta LVI. caput perscrutantibus, ubi de spectaculo admonemur, quod captivi reges Mithridates (cf. pag. 46; Tac. XII 21) et Caratacus (pag. 51. Tac. XII 36) populo Romano praebebant. Hanc naumachiam apud Tacitum Dionem Suetonium Plinium descriptam reperimus. Apud Tacitum est: Cincto ratibus ambitu . . . . , in ratibus praetoriarum cohortium manipuli turmaeque adstiterant antepositis propugnaculis . . . . ripas et colles innumera multitudo complevit . . . . ipse

insigni paludamento neque procul Agrippina chlamyde aurata praesedere[1] ..... LVII) quin et convivium effluvio lacus adpositum magna formidine cunctos adfecit, quia vis aquarum proxima trahebat. — — Dio LX 33 3: *Ὁ Κλαύδιος (ναυμαχίαν ποιῆσαι ἐπιθυμήσας) τεῖχός τε περὶ τὴν λίμνην ξύλινον κατεσκεύασε καὶ ἴκρια ἔπηξε. πλῆθός τε ἀναρίθμητον ἤθροισεν ..... ὁ δὲ δὴ Κλαύδιος ὅ τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλησαν, ἥ τε Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμήθη.* — Apud Suetonium (Claud. 21): Quin et emissurus Fucinum lacum naumachiam ante commisit. — 32) [2]) convivatus est et super emissarium Fucini lacus ac paene submersus est, cum emissa impetu aqua redundasset. — Apud Plinium (nat. hist. XXXIII 3 § 63): Nos vidimus Agrippinam Claudii principis sedente eo navalis proelii spectaculum adsidentem et indutam paludamento auro textili sine alia materia. —

Denique Tacitus et Dio eodem modo hanc narrationem concludunt. Tac. XII 57 extr.: Simul .... Agrippina ministrum operis Narcissum incusat cupidinis et praedarum. — Dio LX 33 3: *Ὁ Νάρκισσος τῆς λίμνης τῆς Φουκίνης συμπεσούσης αἰτίαν ἐπ᾽ αὐτῇ μεγάλην ἔλαβεν. ἐπεστάτει γὰρ τοῦ ἔργου.* — — De origine huius narrationis non plus nobis dicendum est, cum dubitari non possit, quin Plinius, qui ipse in illo numero est, ceterorum auctor fuerit.

Duodesexagesimo capite Neronis in senatu tirocinium commemoratur. Idem cum apud Suetonium reperiamus (vita Neronis 7), eius verba cum Tacito comapramus. Ac Suetonius haec scribit: Apud eundem consulem pro Bononiensibus Latine, pro Rhodiis atque Iliensibus Graece verba fecit (Nero). — Idem in vita D. Claudii narrat (25. cap.) omisso Neronis nomine e sententia Claudii: Libertatem Rhodiis ob paenitentiam veterum

---

1) cf. Suet. Claud. 21. praeseditque paludatus.

2) Sueton. saepius continuam narrationem in duas partes dividit, cuius rei apud Gercke (cf. pag. 40) complura exempla sunt.

delictorum reddidit. Iliensibus, quasi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit recitata vetere epistula Graeca ..... Apud Tacitum non est hoc in senatu, qui verba fecerunt, Graeco sermone usos esse, quod memorare haud scio an ei operae pretium non visum sit, cum Suetonius pro suo pusillarum rerum studio hoc duobus locis tradat. Ceterum bene inter se consentiunt, sed ita ut Tacitus ironia quadam in Neronem non careat. Nam in senatu verbe fecisse eum dicit: ut studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret. — Iure suspicari nobis videmur has orationes a Seneca compositas esse, id quod Tacitus alio loco [1]) de sollemnibus Neronis orationibus refert, ubi sine dubio Plinius, Senecae adversarius, eius auctor fuit. Simili ratione hic quoque si Plinius auctor fuisset, Senecam perstringere vix neglexisset, quamobrem hanc coniecturam nos repudiare posse putamus. Extremo hoc capite scriptor narrat: tributum Apamensibus terrae motu convolsis in quinquennium remissum. — Nemo intellegat, cur tantulam rem, cui nihil cum ceteris antea actis commune est, memoriae prodiderit. Si autem fontis eius rationem habemus, aenigma solvimus. Nam ubi potius hanc rem invenire potuit nisi in actis senatus? Licet praeterea Tacitus atque Suetonius Plinii opere usi sint, acta praetermittenda hic nobis non videntur.

Id quod undesexagesimo capite narratur, clarius originem prodit. De Plinio cogitamus propter immodicum eius in Agrippinam odium, quod praecipue extremis verbis cognoscitur: quod patres odio delatoris contra ambitum Agrippinae pervicere. Neque commemorare omittimus, quam simile hoc caput primo XI. libri sit (in utroque est: hortis inhians). Sed hac ex re aliquid de auctore concludere, audacius nobis videtur.

Sexagesimo deinceps capite Tacitus inducit Claudium dicentem: parem vim rerum habendam a procurato-

---

[1]) XIII 3 Oratio Neronis a Seneca composita.

ribus suis iudicatarum, ac si ipse statuisset. — Quae verba quaeque sequuntur cum primum legimus, de Fr. Leonis disputatione cogitavimus putavimusque eum hunc quoque locum ei libro attributurum esse, quem se invenisse putat. Namque tam similis videbatur ceteris, quos in disputationem vocat. Sed ipse id hic minus verisimile esse dicit (pag. 198): Materiam enim huius relationis Tacitum sine dubio ex sua historiae scientia censet sumpsisse. — Nos autem quae hic exponuntur, indidem petita esse affirmamus, ex quo similia, quae supra attulimus (cf. pag. 31 de munere quaestorio Tac. XI 22; pag. 48 de pomerio XII 24). De iure procuratorum Claudium longiorem in senatu habuisse orationem putamus, eamque Tacitum ita tradere, ut manifestum fiat ex optimo testimonio sumptam esse. Ut Claudius XI 22 historiam muneris quaestorii vel XII 24 historiam pomerii exponit[1]), ita hic in senatu de munere procuratorum verba facit, quomodo excultum sit ex Gracchorum[2]) usque ad sua tempora. Quem igitur potius credamus quam acta senatus testem fuisse? Quod bene firmatur, si comparamus, quae sequuntur res.

Rettulit dein de immunitate Cois tribuenda[3]) multaque super antiquitate eorum memoravit. — Atque revera scriptor imperatorem tot res memorantem facit, ut vel ea ex re intellegatur eum orationem oculis vidisse. Haec verba Claudii ipsius esse Nipperdey quoque concedit his verbis (XII 61 adnot.): Claudius cum gaudio notitiam suam antiquitatum ostentabat (cf. pag. 28 [2])). Nec vero solum Claudii, sed etiam Byzantiorum orationem in eodem senatu habitam tradit perinde verbose. Nulla transitio est ex Claudii ad eorum orationem (quamquam nequaquam eorum antea ulla mentio facta est) nisi haec: At Byzantii data dicendi copia . . . . . quorum

---

[1]) Imprimis de oratione Lugdunensi XI 24 cogitandum est.

[2]) Eadem lex Sempronia XII 24 commemoratur (a Claudio).

[3]) Suetonius de immunitate Iliensium et Rhodiorum multis exponit (Nero 7), de Cois nihil dicit.

orationem etiam longius quam Claudii exponit Tacitus minimasque refert res, quas nusquam nisi in exemplo huius orationis reperire potuit. Quod exemplum quin potissimum in actis senatus ei reperiundi facultas fuerit, quis dubitet? Concludimus igitur eum, quae his quattuor capitibus (LX.—LXIII.) tradit, ex senatus actis sumpsisse.

In enarrandis rebus anno post Chr. n. 54. gestis, qui Claudii ultimus erat, Tacitus primum prodigia enumerat, quae eadem Dio et Suetonius, Plinii sectatores. Quem in scribenda historia inter omnes constat prodigia collegisse memoriaeque prodidisse, cuius rei in eius naturali historia satis exemplorum sunt. Atque hac de re et quid ex ea concludi possit, iam supra diximus (pag. 53 ad XII 43). Quae prodigia Suetonius (Claud. 46) Dio LX 35 init. Tac. XII 64 tradiderunt, componimus.

Suet. Claud. 46: Praesagia mortis eius praecipua fuere: exortus crinitae stellae, quam cometen vocant, tactumque de caelo monumentum Drusi patris [1]), et quod eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant.

Οὕτω μὲν ὁ Κλαύδιος μετήλλαξεν ἐς τοῦτό τε ὅ τε ἀστὴρ ὁ κομήτης ἐπὶ πλεῖστον ὀφθείς, καὶ ἡ ψεκὰς ἡ αἱματώδης, ὅ τε σκηπτὸς ὁ ἐς τὰ δορυφορικὰ σημεῖα ἐμπεσών, τό τε σμῆνος τὸ ἐν τῷ στρατοπέδῳ[2]) *συστραφέν, καὶ ὅτι ἐξ ἁπασῶν τῶν ἀρχῶν εἷς ἀφ᾽ ἑκάστης ἐτελεύτησεν, ἔδοξε σημῆναι.*

M. Asinio M'. Acilio c. c. mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis:

Signa ac tentoria militum igne caelesti arsere;
fastigium Capitolii examen apium insedit [3]); Numerabatur inter ostenta deminutus omnium magistratuum numerus.

---

[1]) apud Tacitum et Dionem est: signa militaria.

[2]) loco vocabuli *στρατοπέδῳ* potius cum Tacito scribimus: *Καπιτολίῳ;* quod enim examen apium in castris insedit, haec res non tam mira et prodigiosa videtur quam in Capitolio, summo populi Romani templo. Quod Dio saepius eiusmodi peccavit, cf. Gercke l. s. pag. 181, ubi complura exempla sunt.

[3]) quod hoc loco Tacitus dicit (de biformibus hominibus) omittunt Suetonius (qui praecipua praesagia se tradidisse profitetur) et Dio et Plinius, qui alio loco complures hermaphroditos commemorat.

Primo adspectu etsi videmus, quam similia quae Tacitus Dio Suetonius narrant, inter se sint, tamen mirum est, quod Tacitus cometen omittit, cuius in primis Dio et Suetonius mentionem faciunt, ac quod maximum valet, Plinius, apud quem est (nat. hist. II 25,94): [cometes apparuit) in nostro aevo circa veneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni. — Crinita igitur illa videbatur circa tempus mortis Claudii, i. e. medio mense Octobri·[1]) Tacitus autem portenta, quae ante principis mortem vel etiam quae primis mensibus anni 54. observata sunt, enumeravit. Cometen igitur, quippe quae pro natura caeli Italici initio demum autumni apparere ac conspici posset, eam ob causam haud scio an omiserit. Utcumque est, satis Tacitus Dio Suetonius inter se consentiunt, ut concludere liceat Plinium eorum fuisse auctorem.[2]) Sed praeter Plinium Tacitus in enarrandis huius anni rebus alium auctorem (vel alios) secutus est, quod facile perspicitur, si de morte Claudii, quae a Tacito Suetonio Dione Plinio traduntur, comparamus. Atque a Dionis narratione proficiscimur, ex qua quomodo Plinius mortem Claudii descripserit, optime perspici posse videtur. Dio LX 34 § 4: Narcisso reficiendis viribus Sinuessam Campaniae profecto (§ 2) Agrippina Claudium veneno e medio tollere studuit. A Locusta virus paratur atque delectabili boleto infunditur. Ipsa Agrippina cenae intererat, post quam Claudius qua erat consuetudine ebrius e triclino efferebatur. Eadem nocte mortuus est.

Nihil in hac simplici narratione est de Haloto praegustatore, nihil de Xenophonte medico,[3]) qui altero veneno imperatorem necavisse dicitur. Tacitus igitur aut uberiorem narrationem habuit quam Dio aut alteram,

---

[1]) Excessit Claudius a. d. III. Id Octobr. (Suet. Claud. 45; Seneca, 'Αποκολοκ.2)

[2]) Ultima praecipue Taciti et Dionis verba ita congruunt, ut ad verbum ex lingua Latina in Graecam translata videantur.

[3]) quem (XII 61) laudibus ipse princeps extollebat.

quam cum hac coniunxit. Quomodo res se habuerit, e Suetonio cognoscimus (vita Claud. 44.), qui varios de imperatoris exitu rumores fideliter servarit. Quae Suetonius secernit, ea Tacitus in unum contexuit. Quid Plinius de hoc veneficio scripserit, certo scimus, cum eius in Naturali historia saepius mentionem fecerit, quos tres locos hic componimus:

II 92. Veneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni.

XI 189 Claudius, quo mense interemptus est veneno.

XXII. 92 Boletos, opimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem a coniuge Agrippina dato, quo facto illa terris venenum alterum sibique ante omnis Neronem suum dedit.

Narrationem Plinii paulatim omnes fere secuti sunt, velut Iuvenalis, ut exemplum afferamus, Plinium[1]) secutus est his versibus (satir. VI 621):

Agrippinae
Boletus: siquidem unius praecordia pressit
Ille senis tremulumque caput descendere iussit
In coelum et longa manantia labra saliva.[2])

Vel alio loco (V 147):

Boletus domino; sed quales Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

Dio tantum boletos causam mortis Claudii dicit atque etiam extremo LX. libro verbum Neronis affert: Boletos deorum cibos esse, quod etiam Claudius per boletum deus factus esset. Id igitur certum est: Plinium in enarranda Claudii nece inter Taciti auctores fuisse. Praeterea alios secutus est, id quod facile intellegitur, si Dio Tacitus Suetonius inter se comparantur. Sed cum de his auctoribus nihil scire et dicere possimus, operae

[1]) Gercke (l. s. pag. 191) suspicatur Iuvenalem saepius ex Plinii libris materiam sumpsisse.

[2]) His verbis admonemur de Senecae Apocolocyntosi 5 et Suetonii descriptione (vita Claudii 30).

pretium non videtur sola nomina scribere coniecturasque eloqui. De Claudii morte hactenus.[1])

Eas quoque quae sequuntur, res, unde Tacitus sumpserit, facile reperimus, si Taciti Dionis Suetonii narrationes comparamus.

Tacitus XII 69.

Illatusque castris Nero et congruentia tempori praefatus, promisso donativo ad exemplum paternae largitionis, imperator consalutatur. Sententiam militum secuta patrum consulta. Caelestesque honores Claudio decernuntur, et funeris sollemne perinde ac Divo Augusto celebratur. Testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus iniuria et invidia animos vulgi turbaret.

Dio LXI 3:

Ἐς τὸ στρατόπεδον ἐσῆλθε καὶ ἀναγνοὺς, ὅσα ὁ Σενέκας ἐγεγράφει, ὑπέσχετο αὐτοῖς, ὅσα ὁ Κλαύδιος ἐδεδώκει. Τοσαῦτα δὲ καὶ πρὸς τὴν βουλὴν ....

LX 35,2: *Ἔτυχε δὲ καὶ τῆς ταφῆς καὶ τῶν ἄλλων, ὅσων ὁ Αὔγουστος, ἔς τε τὸν οὐρανὸν ἀνήγαγον.*

Zonar XI 12: *Τῶν τε διαθηκῶν τοῦ Κλαυδίου ἀφανισθεισῶν καὶ τοῦ Βρεταννικοῦ παρηγκωνισμένου, ὃς γνήσιος ἦν τοῦ τεθνεῶτος υἱός.*

Sueton. vita Neronis 8: Septendecim annos natus, ut de Claudio palam factum est inter horam sextam septimamque l[1]) processit ad excubitores .... proque Palati gradibus imperator consalutatus lectica in castra et inde raptim apellatis militibus in curiam delatus est cap. 9: Claudium aparatissimo funere elatum laudavit et consecravit .... vita Claud. 45: funeratus est sollemni principum pompa et in numerum deorum relatus. Haec verba, si comparamus, facile cognoscimus ex uno libro sumpta esse atque optimo iure dicere nobis videmur Plinium fuisse auctorem.

---

[1]) Cognoscere possumus, quae publice de morte Claudii vulgata sunt. Nam in primis Seneca id scripsit, quod Agrippina credi cupivit; cf. Apocolocynt. 4. extr.: exspiravit autem, dum comoedos audit (Suet. Claud. 45. inducti per simulationem comoedi); Apocolocynt. 2: mortuus est inter VI. et VII. horam. — Revera medio demum die mors vulgabatur, quamquam Claudius XII horis ante mortuus erat.

Ad finem disputationis nostrae pervenimus. In auctoribus Taciti quaerendis quantum ratione et via fieri potuit, assecuti esse nobis videmur. Demonstrare conati sumus Tacitum, cum de rebus in senatu gestis scribebat, actis fere senatus usum esse, in XII. libro praecipue Plinium auctorem secutum esse eiusque A fine Aufidii Bassi libros initium cepisse a morte Messalinae atque novis Claudii cum Agrippina nuptiis.

Vita.

Natus sum Theodorus Grigull in vico prope Coloniam sito, cui nomen est Nippes, pridie Nonas Januar. anni 1883 patre Theodoro, matre Anna e gente Goehring, quos superstites esse summopere gaudeo, evangelicamque sequor ecclesiam. Primordiis litterarum imbutus per quadriennium in ludo elementario Vesaliensi primum eodem in oppido per sex annos Gymnasium Regium frequentavi, deinde per tres annos Gymnasium Senatorium Osnabruggense, ubi vere anni 1902 maturitatem adeptus Monasterio per quadriennium philologicis imprimis studiis me dedidi. Per bis senos menses regii philologorum seminarii extraordinarius, per idem tempus ordinarius fui sodalis. E numero virorum doctissimorum, qui me docuerunt, Sonnenburg Hosius Stahl Streitberg, quibus de studiis meis philologicis optime meritis quam maximas ago gratias, mihi dicendi sunt. Examen rigorosum sustinui a. d. V. Kal. Jul. anni 1907.

